3 1761 03644 8983

Schmidt, L. V.

Quaestiones Epicharmeae.

Specimen 1.

Epicharmus

Schmidt

German

E63
.Ys

QVAESTIONES EPICHARMEAE.

SPECIMEN I.

DE EPICHARMI RATIONE PHILOSOPHANDI.

SCRIPSIT

ET

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXV. MENSIS IVLII A. CIↃIↃCCCXXXXVI.

PVBLICE DEFENDET

LEOPOLDVS VALENTINVS SCHMIDT

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

EVGENIVS MEHLER, PHILOSOPHIAE DOCTOR.
IACOBVS BERNAYS, SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR.
GEORGIVS BVNSEN, SEM. PHIL. SODALIS ORDINARIVS.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
CIↃIↃCCCXXXXVI.

R 360 99
9. 29.
27.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Apud Diogenem Laertium in vita Platonis III, 9—17. haec leguntur: *Πολλὰ δὲ καὶ παρ' Ἐπιχάρμου τοῦ κωμῳδοποιοῦ προσωφέληται, τὰ πλεῖστα μεταγράψας, καθά φησιν Ἄλκιμος ἐν τοῖς πρὸς Ἀμύνταν, ἃ ἐστι τέτταρα. ἔνθα καὶ ἐν τῷ πρώτῳ φησὶ ταῦτα· „Φαίνεται δὲ καὶ Πλάτων πολλὰ τῶν Ἐπιχάρμου λέγων· σκεπτέον δέ. ὁ Πλάτων φησὶν αἰσθητὸν μὲν εἶναι τὸ μηδέποτε ἐν τῷ ποιῷ μηδὲ ποσῷ διαμένον, ἀλλ' ἀεὶ ῥέον καὶ μεταβάλλον· ὡς ἐξ ὧν ἄν τις ἀνέλῃ τὸν ἀριθμὸν, τούτων οὔτε ἴσων οὔτε τινῶν οὔτε ποσῶν ὄντων. ταῦτα δ' ἐστὶν ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε πέφυκε. νοητὸν δὲ ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται μηδὲ προσγίνεται. τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀϊδίων φύσις, ἣν ὁμοίαν τε καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ συμβέβηκεν εἶναι. καὶ μὴν ὅ γε Ἐπίχαρμος περὶ τῶν αἰσθητῶν καὶ νοητῶν ἐναργῶς εἴρηκεν·*

Ἀλλ' ἀεὶ τοὶ θεοὶ παρῆσαν, χὐπέλιπον οὐ πώποκα·
τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.
ἀλλὰ λεγέται μὰν χάος πρᾶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.
πῶς δέ; κἀμήχανόν γ' ἀπό τινος μηδὲν ὅτι πρᾶτον μόλοι.
οὐκ ἄρ' ἔμολε πρᾶτον οὐδὲν οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον
τῶν δ' ὧν ἄμες νὺν ὧδε λέγω, μέλλει τάδ' εἶναι.
αἰ ποτ' ἀριθμόν τις περισσὸν, αἰ δὲ λᾷς, τὸν ἄρτιον,
ποτθέμεν λᾷ ψᾶφον ἢ καὶ τὰν ὑπάρχουσαν λαβεῖν
ἢ δοκεῖ κά τοι τόκ' αὐτὸς εἶμεν; οὐκ ἐμὶν τάχα.
οὐδὲ μὰν οὐδ' αἰ ποτὶ μέτρον παχυαῖον ποτθέμεν
στερῥὸν ἕτερον μᾶκος ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν,
ἔτι χ' ὑπάρχοι τᾶνο τὸ μέτρον; οὐ γάρ. ὧδε νῦν ὅρη

καὶ τὸς ἀνθρώπους· ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δέ γα μὰν φθίνει,
ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.
ὃ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν κοὔτοκ' ἐν τωὐτῷ μένει,
ἄτερον εἴη κὰ τοδὴ τοῦ τοι παρεξεστακότος.
καὶ τὺ δὴ κἠγὼ χθὲς ἄλλοι καὶ νὺν ἄλλοι τελέθομες,
καὐθις ἄλλοι κοὔτοκ' αὐτοὶ [τελέθομες] καττὸν λόγον.

ἔτι φησὶν ὁ Ἄλκιμος καὶ ταυτί· „Φασὶν οἱ σοφοὶ τὴν ψυχὴν τὰ μὲν διὰ τοῦ σώματος αἰσθάνεσθαι, οἷον ἀκούουσαν, βλέπουσαν· τὰ δ' αὐτὴν καθ' αὑτὴν ἐνθυμεῖσθαι, μηδὲν τῷ σώματι χρωμένην. διὸ καὶ τῶν ὄντων τὰ μὲν αἰσθητὰ εἶναι, τὰ δὲ νοητά. ὧν ἕνεκα καὶ Πλάτων ἔλεγεν ὅτι δεῖ τοὺς συνιδεῖν τὰς τοῦ παντὸς ἀρχὰς ἐπιθυμοῦντας πρῶτον μὲν αὐτὰς καθ' αὑτὰς διελέσθαι τὰς ἰδέας, οἷον ὁμοιότητα καὶ μονάδα καὶ πλῆθος καὶ μέγεθος καὶ στάσιν καὶ κίνησιν· δεύτερον αὐτὸ καθ' αὑτὸ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν καὶ δίκαιον καὶ τὰ τοιαῦτα ὑποθέσθαι· τρίτον τῶν ἰδεῶν συνιδεῖν ὅσαι πρὸς ἀλλήλαις εἰσίν, οἷον ἐπιστήμην ἢ μέγεθος ἢ δεσποτείαν· ἐνθυμουμένους ὅτι τὰ παρ' ἡμῖν διὰ τὸ μετέχειν ἐκείνων ὁμώνυμα ἐκείνοις ὑπάρχοι· λέγω δὲ οἷον δίκαια μὲν ὅσα τοῦ δικαίου, καλὰ δὲ ὅσα τοῦ καλοῦ. ἔστι δὲ καὶ τῶν εἰδῶν ἓν ἕκαστον ἀΐδιόν τε καὶ νόημα καὶ πρὸς τούτοις ἀπαθές· διὸ καί φησιν ἐν τῇ φύσει τὰς ἰδέας ἑστάναι καθάπερ παραδείγματα· τὰ δ' ἄλλα ταύταις ἐοικέναι τούτων ὁμοιώματα καθεστῶτα. ὁ τοίνυν Ἐπίχαρμος περί τε τοῦ ἀγαθοῦ καὶ περὶ τῶν ἰδεῶν οὕτω λέγει·

Α. Ἆρ' ἔστιν αὐλησίς τι πρᾶγμα; *Β.* πάνυ μὲν ὤν·
Α. ἄνθρωπος ὢν αὐλησίς ἐστιν; *Β.* οὐδαμῶς.
Α. φέρ' ἴδω, τί δ' αὐλητάς; τίς εἰμέν τοι δοκεῖ;
ἄνθρωπος; ἢ οὐ γάρ; *Β.* πάνυ μὲν ὤν. *Α.* οὐκ ὢν δοκεῖ
οὕτως ἔχειν [τοι] καὶ περὶ τὠγαθοῦ; τὸ μὲν
ἀγαθόν τι πρᾶγμ' εἶμεν καθ' αὑθ'· ὅστις δέ κα
εἰδῇ μαθὼν τήν', ἀγαθὸς ἤδη γίνεται.
ὥσπερ γὰρ αἰκ' αὐλησιν αὐλητὰς μαθών,
ἢ ὄρχησιν ὀρχιστάς τις ἢ πλοκεὺς πλοκάν,

ἢ πᾶν γ' ὁμοίως τῶν τοιούτων ὅ,τι τὺ λῇς,
οὐκ αὐτὸς εἴη χἀ τέχνα, τεχνικός γα μάν.

Πλάτων ἐν τῇ περὶ τῶν ἰδεῶν ὑπολήψει φησίν· „Εἴπερ ἐστὶ μνήμη, τὰς ἰδέας ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν διὰ τὸ τὴν μνήμην ἠρεμοῦντός τινος καὶ μένοντος εἶναι· μένειν δὲ οὐδὲν ἕτερον ἢ τὰς ἰδέας. τίνα γὰρ ἂν τρόπον, φησὶ, διεσώζετο τὰ ζῶα μὴ τῆς ἰδέας ἐφαπτόμενα, καὶ πρὸς τοῦτο τὸν νοῦν φυσικὸν εἰληφότα;" νῦν δὲ μνημονεύει τῆς ὁμοιότητός τε καὶ τροφῆς, ὁποία τις ἐστὶν αὐτοῖς, ἐνδεικνύμενα διότι πᾶσι τοῖς ζώοις ἔμφυτός ἐστιν ἡ τῆς ὁμοιότητος θεωρία. διὸ καὶ τῶν ὁμοφύλων αἰσθάνεται· πῶς οὖν ὁ Ἐπίχαρμος;

Εὖμαιε, τὸ σοφόν ἐστιν οὐ καθ' ἓν μόνον,
ἀλλ' ὅσσα περ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει.
καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος,
αἰ λῇς καταμαθεῖν ἀτενὲς, οὐ τίκτει τέκνα,
ζῶντ', ἀλλ' ἐπώζει καὶ ποιεῖ ψυχὰν ἔχειν.
τὸ δὲ σοφὸν ἁ φύσις τόδ' οἶδεν ὡς ἔχει
μόνα· πεπαιδεύται γὰρ αὐταυτᾶς ὕπο.

καὶ πάλιν·

Θαυμαστὸν οὐδὲν ἁμὲ ταῦθ οὑτῶ λέγειν
καὶ ἀνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς καὶ δοκεῖν
καλῶς πεφύκειν. καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
κάλλιστον εἶμεν φαινέται καὶ βοῦς βοΐ,
ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστόν [ἐστιν,] ὗς δ' ὑΐ.

καὶ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα διὰ τῶν τεσσάρων βιβλίων παραπήγνυσιν ὁ Ἄλκιμος, παρασημαίνων τὴν ἐξ Ἐπιχάρμου Πλάτωνι περιγινομένην ὠφέλειαν. ὅτι δ' οὐδ' αὐτὸς Ἐπίχαρμος ἠγνόει τὴν αὐτοῦ σοφίαν, μαθεῖν ἐστι κἀκ τούτων ἐν οἷς τὸν ζηλώσοντα προμαντεύεται·

Ὡς δ' ἐγὼ δοκέω, δοκέων γὰρ σαφὲς ἅμι τοῦθ' ὅτι
τῶν ἐμῶν μνάμα ποκ' ἐσσείται λόγων τουτῶν ἔτι.
καὶ λαβών τις αὐτὰ περιδύσας τὸ μέτρον ὃ νῦν ἔχει,
εἶμα δοὺς καὶ πορφύραν λόγοισι ποικίλας καλοῖς,
δυσπάλαιστος ὢν τὸς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ.

De allatorum a Diogene versuum fide, qui de Epicharmo scripserunt, nequaquam dubitarunt: aliquam dubitationem movit Meinersius de vero deo p. 311 et in historia litterarum apud Graecos I, p. 586. Nec sane videtur sine cautione credendum esse Diogeni, Epicharmi eas esse reliquias, non solum quia in philosophico genere multa substituta esse Siculo poetae constat: sed magis etiam, quia Alcimus, e cuius libro eas desumpsit Diogenes, studuit sine dubio Epicharmi sententias quam simillimas reddere Platonicis, quum Platonem censeret modo non omnem idearum doctrinam ex Epicharmo hausisse. Quod ut assequeretur si minus certae originis fragmenta cupide arripuisset, non esset tanto opere mirandum. De nominis enim auctoritate nihil definiri potest, quoniam, quis ille Alcimus fuerit, haud compertum est aliunde. Nam quos praeterea Alcimos novimus, rerum Sicularum atque Italicarum scriptorem et rhetorem, eorum ut de neutro accurate iudicare licet, ita cum neutro hunc Diogenis Alcimum congruere est probabile. Nimirum Alcimum Siculum, qui de rebus Siculis et Italicis scripsit, commemoratum ab Athenaeo VII, 322 a; X, 441 a; XII, 518 b et a Festo s. v. Romam, sat fabulosum auctorem fuisse intelligitur ex iis, quae de Hercule apud Athenaeum X, 441 a et de origine urbis Romae apud Festum narrat. Is etsi, ut Siculus, Epicharmi poesim probe cognitam habere potuit, tamen illis quattuor libris *πρὸς Ἀμύνταν* nihil videtur cum historica scriptura fuisse commune, ut nulla causa sit utrumque Alcimum coniungendi. Sin est coniungendus, non magnam sane fidem meretur. Alcimum autem rhetorem, Stilponis discipulum, siquidem sana est lectio, *ἁπάντων πρωτεύοντα τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι ῥητόρων* vocat Diogenes Laertius II, 114, qui solus memorat. Neque eum, si exstitit unquam, credibile est de rebus philosophicis scripsisse: certe de eius fide quidquam definiri nequit. Quocirca quisquis fuit Alcimus ille, qui Epicharmum cum Platone com-

paravit, non aliunde eius auctoritas erit iudicanda, sed ex ipsorum, quae affert, fragmentorum indole: his autem non dubito annumerare illud ultimum: *ὡς δ' ἐγὼ δοκέω*, quod et ipsum ex Alcimi opere haustum esse contextus docet. Itaque ut horum fragmentorum fides exploretur, comparanda erunt cum iis, quae pro certis atque genuinis omnino possunt haberi: ea dico, quae additis nominibus fabularum, e quibus petita sunt, maximam partem apud Athenaeum reperiuntur. Neque enim solum e nominibus fabularum fides nascitur: sed gravissima merito aestimanda est auctoritas Athenaei, ut quem crisim adhibuisse Epicharmeis e notatione *τῶν ψευδεπιχαρμείων* l. XIV, 648 d pateat: nec profecto illas ciborum enumerationes, quibus refertus est Athenaeus, vel gulosissimum deipnosophistam Siculo poetae supposuisse est credibile. Quae enim in *ἀδήλων* genere ex Athenaeo petita sunt, ea propterea hic praetereunda duco, quia duobus exceptis in epitome secundi libri, non in ipsius Athenaei scriptura exstant: quo factum est, ut non solum auctoritate careant externa (quidni enim potuit epitomator *νοθείας* significationem omittere?) sed tam misere depravata ad nostram aetatem pervenerint, ut accuratiori pervestigationi locum praebeant nullum. Reliqui auctores inde plerumque commendationem habent, quod nomina fabularum, quae afferunt, magna ex parte etiam apud Athenaeum reperiuntur. Ut nostro quodam iure fidem tribuamus iis fragmentis, quibus nomina fabularum addita sunt apud Ahrensium, cuius quidem collectionem in libro de dialecto Dorica exhibitam omnino sequi iuvat. Verum ut summam cautionem in iudicandis *ἀδήλοις* adhibuisse videamur, sufficiat ea primo cum iis tantum comparare, quae apud Athenaeum exstant. Ac sane quod ad argumentum spectat, nihil videtur minus cognatum esse quam illae ciborum enumerationes et disputationes philosophicae: quanquam inde, quod pro suo usu talia plerumque excerpsit deipnosophista, nemo

facile de toto poesis genere Epicharmeo iudicabit. Sed in numerorum conformatione haud pauca sunt, quae, quantum ex his reliquiis colligi potest, Epicharmi propria esse videantur, quaeque haud incommode ansam praebere possint utrumque genus fragmentorum comparandi. Quae apud Athenaeum reperiuntur, trochaicis tetrametris catalecticis maximam partem sunt conscripta, haud pauca iambicis trimetris, de anapaestis nihil definire licet: philosophica autem illa apud Diogenem partim trochaicis tetrametris, partim iambicis trimetris continentur. Qua quidem universa similitudine nihil apparet de poeta effici posse: nam trochaico illo metro, ut quod proprie Epicharmeum diceretur, minime abstinuisse Epicharmi imitatores est credibile, iambicis autem trimetris quaerendum potius quis non sit usus. Ut vero ab illo metro proprie Epicharmeo ordiamur, sunt sane quibus ab Atticis poetis in eius usu recessisse Epicharmus videatur. Ex eo genere iam primo obtutu se offert magnus numerus talium versuum, qui soluta penultima arsi in paeonem quartum exeunt ad exemplum eius, quem affert Hephaestio:

τῶν πολιτῶν ἄνδρας ὑμῖν δημιουργοὺς ἀποφανῶ.

Quum enim septuaginta duo tetrametri Epicharmei apud Athenaeum exstent integri, sex autem tales, quorum tantummodo finis est servatus, horum septem illam penultimae arsis solutionem praebent, hos dico:

τὰ διελεῖν μέν ἐστι χαλεπὰ, καταφαγεῖν δ' ἐϋμαρέα
ἐντὶ δ' ἀστακοὶ κολυβδαίναι τε χὠς τὰ πόδι' ἔχει
αἰολίαι πλώτες τε κυνογλώσσοι τ', ἐνῆν δὲ σκιαθίδες
καὶ σκιφίας χρόμις θ', ὃς ἐν τῷ ἦρι καττὸν Ἀνάνιον
ἦν δ' ὑαινίδες τε βουγλώσσοι τε καὶ κίθαρος ἐνῆς
μεγαλοχασμόνας τε χάννας κἠκτραπελογαστόρας ὄνους
σηπίας τ' ἄγεν νεούσας περδίκας τε πετομένους.

Inter eos autem tredecim vel quindecim versus, quos

ceteri non spernendi auctores ex certis fabulis sumpserunt, unus est eiusdem generis, apud Hephaestionem p. 14:

εὔρυθμος καὶ μουσικὰν ἔχουσα πᾶσαν φιλόλυρος.

Qui numerus si cui fortasse haud ita magnus esse videbitur, ei recordandum erit, hac penultimae arsis solutione quam raro utantur Attici poetae. Quamquam Porsonus in praefatione ad Euripidis Hecubam p. 44, 45. ita tantum ea abstinuisse Atticos contendit, ut ne illam arsim antecederet longa syllaba: alioqui et tragicos et comicos hanc metri conformationem sine offensione admisisse. In quo illud quidem recte observatum est, ubi omnino in fine tertiae dipodiae vitabatur longa syllaba, quae quidem vocabulum hypermonosyllabum terminaret, eandem necessario etiam sequente tribracho vitatam fuisse: sed vitabatur ea tantum apud tragicos, usitata fuit comicis. Quod vero ante tribrachum non saepius eadem reperitur, nullam aliam causam habet, quam quod in universum iste tribrachus in septima sede perparce adhibetur. Immo eius tribrachi raritas iam veteres metricos advertit, ita ut nonnulli eum vel vitiosum putarent, teste Hephaestione VI, 36: *ἔτι μέντοι καὶ ἐν τοῖς καταληκτικοῖς καὶ ὁ τρίβραχυς ἐγχωρεῖ, καθάπερ προειρήκαμεν, οὐ μόνον ὁ τροχαῖος, ὥς τινες οἴονται*: sed rarum esse ipse affirmat VI, 33: *ὅτε δὲ ἐστὶ καταληκτικόν, τὸν παραλήγοντα μάλιστα μὲν τροχαῖον δέχεται, ἔστι δὲ ὅτε καὶ τρίβραχυν.* Hephaestionis autem iudicium comprobant eae, quae etiamnunc exstant, scenae Atticae reliquiae. De iambographis enim ob fragmentorum paucitatem cautius iudicandum erit; quanquam, quum in Archilochi et Solonis fragmentis alia eius solutionis exempla desiderentur, non videtur probandum esse, quod Th. Bergkius scripsit in Archilochi versu fr. 30, 9:

φίλτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἠλύγιον ὄρος,

cui ego Fr. Iacobsii emendationem praetulerim. Sed in antiquiore tragoedia, quae fere puris numeris utitur atque

ex omni parte emendatis, nusquam penultima arsis trochaici tetrametri solvitur: eae autem Euripidis fabulae, quae post Ol. LXXXIX. negligentius conformatis versibus scriptae sunt, duo offerunt eius solutionis exempla:

Ion. 1254: *μὴ θανεῖν· κλοπῇ δ' ἀφῖγμαι διαφυγοῦσα πολεμίους*
Phoen. 609: *ἀνόσιος πέφυκας· ἀλλ' οὐ πατρίδος, ὡς σὺ, πολέμιος.*

Scilicet Ionem quoque post Ol. LXXXIX. scriptam esse probabiliter demonstravit Euripidis editor Parisiensis, Theobaldus Fix, in chronologia fabularum p. 10*): et ipse G. Hermannus, qui contra senserat, multo ante actam esse ob metricas rationes negaverat. In comoedia Atticorum ut saepius solvuntur longae syllabae, ita etiam haec penultima arsis tetrametri, sed ut modice id sibi indulsisse poetas appareat. In septingentis enim vel octingentis versibus tetrametris, qui in superstitibus Aristophanis fabulis exstant, quattuor tantum reperiuntur, qui istam arsim solutam habent:

Nub. 581. *εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα*
Av. 281. *ἀλλὰ χ' οὗτος ἕτερος; ἀλλ' οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους*
Vesp. 461. *ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ ῥᾳδίως οὗτος ἂν αὐτοὺς διέφυγες*
Eq. 319. *κἀμὲ νὴ Δία τοῦτ' ἐδρασε ταὐτὸν, ὥστε καταγέλων.*

---

*) In eo tamen dissentio a viro doctissimo, quod Hyperbolum sine testimonio vix credo eo progressum esse impudentiae, ut, dum ipse esset ξενὰς nota insignitus, alios homines eo crimine insectaretur. Nam peregrinam fuisse hominis stirpem non illis solum argumentis efficitur, quae Meinekius attulit in histor. com. p. 189.: sed accedit etiam, quod Platonis versus apud Herodianum *π. μον. λ.* p. 20.:

Ὁ δ' οὐ γὰρ ἠττίκιζεν, ὦ Μοῦσαι φίλαι κ. τ. λ.

ad originem eius pariter atque ad pronunciandi rationem spectare videntur. Quid? quod Hyperboli licentia apud multos haud dubie auxit illud advenarum odium, quod post frumenti distributionem Ol. LXXXIX, 2. exarserat.

Nam qui in Vespis legitur versus 342:

τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χανεῖν ὁ Δημολογοκλέων,

non solum propter vituperationem Cleonis suspectus est, sed etiam quia paeon quartus in fine non efficit integrum vocabulum, quam legem alias diligenter observari videmus. Atque haud scio an G. Hermannus, ut universum illud Vesparum canticum egregie restituit in dissertatione academica a. MDCCCXLIII., ita etiam haec verba recte in dimetros acatalectos redegerit:

τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χα-
νεῖν ὁ δεινολογοκλέων; ἆρ'
ὅτι λέγεις τι περὶ Τορωναί-
ων ἀληθές; κ. τ. λ.

Illis autem versibus unus addendus est e fragmentis Aristophanis, siquidem ille recte emendatus est a Th. Bergkio, apud Diogenem Laertium VIII, 34.:

μὴ γεύεσθε δ' ἅττ' ἂν καταπέσῃ
τῆς τραπέζης ἐντός.

In ceteris vero antiquae comoediae reliquiis nullum eiusmodi exemplum reperitnr. E nova Atticorum comoedia quinquaginta octo hodie supersunt trochaici tetrametri exempla, interque ea unum tantum, quod istam solutionem praebeat, Philemonis apud Stobaeum Flor. XXX, 4:

οὔτε γὰρ ναυαγὸς, ἂν μὴ γῆς λάβηται φερόμενος.

Paullo frequentius eandem media comoedia admisit: e qua quum hodie, si recte numeros computavi, 187 exstent versus tetrametri, eorum sex pro ultimo trochaeo habent tribrachum:

Antiphanis ap. Athen. IX, 379 a: *ὄψετ' ἐκ τούτου πονηροὺς πέντε παῖδας γεγονότας.*

Philetaeri ap. Athen. XIII, 587 c: *Θεολύτην δ' οὐδ' οἶδεν οὐδεὶς, ὅτε τὸ πρῶτον ἐγένετο.*

Amphidis ap. Athen. III, 123 e: *ἀνεβόησ' ὕδωρ ἐνεγκεῖν θερμὸν, ἄλλος μετάκερας.*

Eiusdem ap. Athen. VIII, 336 c: *ἀθάνατος ὁ θάνατός ἐστιν, ἂν ἅπαξ τις ἀποθάνῃ.*

Axionici ap. Athen. III, 95 c: *ῥύγχος εἰς ὄξος πίπτων, ὥστε πάντας ὁμολογεῖν,*

Timoclis ap. Athen. IX, 407 f: *Τιμόκλειαν Ἀχαρνέα σωρόν τε κνάμων καταλαβών.*

Neque enim dubitari potest, quin corruptus sit alter Timoclis versus, qui eodem loco legitur apud Athenaeum: *πρῶτα μὲν σκληρὸς καθεύδων, εἶτα Θούδιππος ὁ λέων*: de cuius quidem emendatione vide Meinekium in fragmentis comicorum Graecorum III, p. 603.

Sed etsi paullo saepius sibi illam solutionem mediae comoediae poetae quam reliqui Attici indulserunt, tamen ii quoque multum absunt a licentia Epicharmi: quem quidem in octoginta quinque versibus octies vidimus solvisse penultimam. Nec deerunt fortasse, qui eam licentiam vitio dandam Epicharmo, eumque propterea, qualis fere creditur, minus diligentem esse in versibus condendis quam Atticos poetas arbitrentur. Verum quod Attici illam penultimae arsis solutionem tam sedulo vitarunt, id apparet ea lege cuiusvis numeri factum esse, qua in fine versuum integra numerorum indoles ostendi et manifestari solet: quum enim septimus pes trochaici tetrametri ultimus sit, qui percipitur integer, in eo vim numeri et naturam denuo quasi reviviscere est consentaneum. Hoc autem trochaeo in tribrachum mutato aliquid singularis vehementiae additur numeris, quam etiam consulto captasse videtur Aristophanes in hoc:

εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βεμβοδέψην Παφλαγόνα.

Tali autem admissa vehementia aliquantum de nativa et propria numeri trochaici gravitate detrahitur, praesertim quum adscito illo paeone quarto indoles descendentis numeri obscuretur. Iam quum Attici poetae rarius uterentur trochaicis versibus, eos ibi tantum credendi sunt adhibuisse, ubi iamborum celeritati vel melicorum commotioni opponen-

dam descendentis numeri gravitatem existimarent. In quo non est mirandum, quod illius numeri vim et gravitatem quam maxime puram servare studuerunt: atque haud scio an non omnem negligentiae reprehensionem effugere possit media comoedia, quae septimum tribrachum iusto saepius admisisse videatur. Sed de Epicharmo longe aliter est iudicandum: is enim non certis tantum locis, quibus argumentum eos requirere videbatur, trochaicis tetrametris est usus, sed continuo tanquam consueto metrorum genere, quale Atticis fuit iambicus trimeter. Quid? quod propter frequentem et modo non perpetuum Siculi poetae usum illud ipsum metrum Epicharmei nomen accepit. Itaque tantum abfuit, ut severa illa descendentis numeri gravitas pro suo consilio servanda esset Epicharmo, ut potius illa mitiganda esset et ad quotidiani sermonis tenuitatem deflectenda. Quodsi hoc est consecutus, ut in metri genere, quod gravitate sua vel maxime cum propria Doriensium indole conveniret, tamen eam gravitatem idonea ratione moderaretur, haud exiguam in ea re artem comprobasse potius quam negligenter numeros composuisse erit dicendus. Eiusdem generis est, quod dactylum pro trochaeo quovis loco tetrametri admisit, de qua re egit Meinekius cur. crit. ad Athenaeum p. 9: hoc enim aptissime comparari potest cum anapaestorum usu in Atticae comoediae trimetris. Quod autem descendentium numerorum gravitatem apta solutione longarum syllabarum mitigavit, id non solum ad paeones quartos in fine tetrametri spectat, qui natura sua maiorem afferunt ascendentis numeri similitudinem, verum patet latius. Ut enim in totius versus conformatione id soliti sunt Attici cavere, ne temere immutato fine natura numeri perverteretur, ita etiam in singulis tetrametri hemistichiis singulisque dipodiis idem respexerunt. Nam quod iamdudum ab Hermanno est observatum, saepius primam cuiusvis dipodiae arsim solvi ab Atticis quam secundam, nullam aliam ob causam factum est,

quam quod in fine singularum etiam dipodiarum puriorem servare numeri gravitatem studuerunt. Eandem rationem habet, quod prima dipodia multo plures solutiones recipere solet quam secunda: quintam autem arsim saepius solvi quam septimam sequitur ex iis, quae supra de septimae arsis solutione sunt disputata, ut in hemistichiis quoque similem observari legem appareat. Ita factum est, ut omnium frequentissime prima et quinta arsis ab Atticis solverentur, multo rarius ceterae: id quod facile in quavis Aristophanis fabula animadvertere licet. Iambographos ab hac quoque quaestione excludere praestabit, non tam propter fragmentorum paucitatem, quam quia illi multo rarius in duas breves vertunt longas syllabas. Ceterum Solon in quindecim, qui supersunt, versibus bis solvit primam arsim, reliquas nunquam: Archilochus in quinquaginta quinque versibus primam arsim bis, semel quintam habet solutam, praeterea bis sextam, semel tertiam. Quum vero eorum versuum, quibus sextam arsim solvit, alter a nomine proprio excusationem habeat:

εἰ γὰρ ὧν ἐμοὶ γένοιτο χεῖρα Νεοβούλης θιγεῖν:

haud scio an Archilochus quoque primae et quintae arsis solutionem quodammodo ceteris praetulerit. Sed hoc propter exemplorum raritatem non ausim affirmare: at in scena Attica ut saepius solvuntur longae syllabae, ita etiam hanc legem servari videmus. Contra Epicharmum, etsi in prima et quinta sede haud raro tribrachum posuit, tamen etiam parium syllabarum solutione haud minus delectatum esse intelligitur: nam in iis, de quibus nos agimus, certae originis fragmentis primam arsim solvit decies et quinquies, decies quintam, verum secundam decies, quartam decies et sexies, sextam duodecies. Pro tertio trochaeo bis tantum posuit tribrachum. Itaque etsi nullo pacto vitavit primae et quintae arsis solutionem, tamen eam nequaquam praetulisse videtur ceteris solutionibus, ut Attici poetae: vel maxime est autem attendendum ad frequentem quartae arsis solutionem, raram illam

apud Atticos. Quartus enim pes quia ad finem prioris hemistichii pertinet, similem rationem habet quam septimus: ita ut in eo quoque gravitatem numeri servare Attici, Epicharmus mitigare studuerint. Vix igitur poterit ad sermonis quotidiani facilitatem propius accedere trochaicus tetrameter quam hic Epicharmi, cuius et quarta et septima arsis solutae sunt:

αἰολίαι πλῶτές τε κυνογλώσσοι τ', ἐνῆν δὲ σκιαθίδες.

Contra tota trochaici numeri vis sentitur in his Aeschyli et Aristophanis versibus, qui et primam et quintam arsim habent solutam:

πότερα γὰρ τοξουλκὸς αἰχμὴ διὰ χεροῖν αὐτοῖς πρέπει;
ἐπὶ τί γάρ μ' ἐκεῖθεν ἦγες; ἵν' ἀκολουθοίης ἐμοί.

Quid? quod ab hac diversa et Epicharmea potius numerorum conformatione consulto usus est Alexis, ut certo gradu destitutam et quasi vacillantem ebrii hominis orationem exprimeret, apud Athenaeum II, 40 c:

Οὐδὲ μεθύω τὴν φρόνησιν, ἀλλὰ τὸ τοιοῦτον μόνον,
τὸ διορίζεσθ' οὐ βεβαίως τῷ στόματι τὰ γράμματα.

Iam vero quae in tetrametrorum compositione propria esse Epicharmi intelleximus, eadem quaerendum erit an reperiantur etiam in philosophici generis fragmentis, quae trochaicis tetrametris conscripta loco allato Diogenis Laertii exstant, primum dico et ultimum. In primo autem fragmento quod ultimi versus lacunam vocabulo *τελέθομες* Hermannus explevit, non potest dubitari quin recte fecerit. Sexti versus emendationem nunc in incerto relinquere eumque ab hac metrorum tractatione excludere satius duco. Ultimi vero fragmenti versum primum ita licet adhibere disputationi, ut est ab Ahrensio restitutus (*ὡς δ' ἐγὼ δοκέω, δοκέω γάρ; σάφα ἴσαμι τοῦθ' ὅτι*:) ceterum de eo posthac erit explicatius dicendi locus. Horum igitur viginti trium, sive potius, siquidem ancipitem illum versum sextum ab argumentatione excipimus, viginti duorum versuum ut specte-

mus rationes metricas, eorum tres illam Epicharmo usitatam solutionem septimae arsis praebent:

λῇ τις ἄτερον μᾶκος ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν
καὶ τὺ δὴ κἠγὼ χθὲς ἄλλοι καὶ νὺν ἄλλοι τελέθομες
δυσπάλαιστος ὢν τὸς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ.

Quartam autem arsim quinquies habent solutam, scilicet in priore fragmento v. 4, 10, 12, 15, in altero v. 3. Praeterea ter soluta est prima arsis, quater secunda, ter quinta, quinquies sexta, nunquam tertia. Quae quidem omnia prorsus conveniunt cum iis, quae in tetrametris condendis facere consuevisse Epicharmum supra vidimus. Etsi enim e tam exiguo numero versuum minus confidenter iudicare licet, tamen frequentes illae septimae et quartae arsis solutiones non possunt non cognatae videri cum eo, quod in certae originis fragmentis iisdem praecipue delectatum esse Epicharmum intelleximus. Item quod in his versibus nunquam solvitur tertia arsis, concinit cum rara eius arsis solutione in priore genere fragmentorum. Quod vero secunda arsis saepius etiam soluta reperitur quam prima, id etsi non cadit in alterum genus, tamen optime quadrat cum ea Epicharmi consuetudine, qua posteriorem singularum dipodiarum arsim libentius quam priorem solvere videtur. Praeterea enim in utroque genere non solum quarta saepius quam tertia, sed etiam sexta saepius quam quinta solvitur: idque maxime huc facit, quia natura sua tertia dipodia cognata est cum prima. Quanquam igitur, si unum vel alterum eorum, quae attulimus, utrique generi fragmentorum commune esset, id merito posset ob versuum paucitatem casu factum putari: tamen his omnibus coniunctis tanta numerorum similitudine scripta apparent, ut eidem poetae utraque tribuenda essent, etiamsi ad Diogenianos versus non ascriptum esset Epicharmi nomen. Quod enim ad caesurae rationes spectat, in quibus aliquam quis differentiam sibi videatur deprehendere, ne eae quidem ita sunt comparatae, ut occasionem prae-

beant inter utrumque genus discernendi. Nam quum in certae originis Epicharmeis haud pauci reperiantur versus tetrametri, qui careant caesura, quam quidem philosophici generis poeta paullo diligentius observasse videatur, recordandum est, quando versus recte dicatur caesura carere. Scilicet pro legitima tetrametri caesura, quae est post finem secundae dipodiae, alteram constat in media eadem dipodia substitui posse: quam qui praebent versus, non carebunt illi quidem caesura. Eiusmodi versibus haud obscurum est cur saepius usus sit Epicharmus, quum ea caesura admissa ascendentis numeri cursu quodammodo mitigetur numerus trochaicus: ii enim in prioris generis fragmentis haud raro reperiuntur, velut:

οἰόμαι δ', οὐδεὶς ἑκών | πόνηρος οὐδ' ἅταν ἔχων
διατεταγμένα μέσαι, | φάσσαι δὲ τοσσαύται παρῆν
καὶ τὸ τᾶς Χιτωνίας | αὐλησάτω τίς μοι μέλος.

Exstant quidem etiam tales, qui omni caesura carent, sed eorum plerique in illis ciborum enumerationibus ex *Ἥβας γάμῳ* et Musis petitis, ubi et ipsa nomina maiorem licentiam et argumentum debiliorem numerum requirebant, velut:

μύας ἀναρίτας τε, καρύκας τε καὶ σφικύδρια.

E reliquis fabulis duo tantum supersunt exempla, unum e Sirenibus:

πάντας, ὀπτάντες δὲ χἀδύνοντες αἰτοὺς χναύομες,

alterum ex *Ἁρπαγαῖς*:

δεχομέναι καὶ πάντα γινώσκοντι τῷ τηνᾶν λόγῳ,*

cuius finis etsi e coniectura Bentleii est restitutus, tamen e medio versu nullo pacto amoveri potest vocabulum *γινώσκοντι*. In utroque autem versu eam legem obtinere videmus, quam ab Aristophane observari docuit Reisigius (Coni. ad Aristoph. p. 128,) ut fere talium versuum quartus pes et quintus integrum efficerent vocabulum. Ita ut in his caesurae legibus Epicharmi artem secutum esse Aristophanem haud improbabiliter coniicias. Verumtamen ex

eo, quod in *Ἥβας γάμῳ* et *Μούσαις* saepius etiam non observata illa lege caesura abstinuit Epicharmus, non sibi illicitum hoc putasse illum consequitur. Quodsi cum philosophici generis tetrametris comparationem instituimus, in his duo sunt versus, qui omni caesura carent:

τῶν ἐμῶν μνάμα ποκ' ἐσσείται λόγων τουτῶν ἔτι
καὶ λαβών τις αὐτὰ περιδύσας τὸ μέτρον, ὃ νῦν ἔχει:

quorum alter quum de vertendo in prosam orationem versuum argumento agat, haud scio an consulto poeta quandam in eo prosae orationis similitudinem captaverit. Qui autem illam in medio quarto pede caesuram praebeant, primo quidem obtutu duo tantum se offerunt:

ἀλλὰ λεγέται μὰν χάος | πρᾶτον γενέσθαι τῶν θεῶν
εἶμα δοὺς καὶ πορφύραν | λόγοισι ποικίλας καλοῖς.

Verum si sententiae rationem spectamus, duo etiam alii exstant, quibus non potest non haec caesura aptior videri quam altera, sicubi eam concessam esse intellectum est, hos dico:

λῇ τις ἄτερον μᾶκος ἢ | τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀτοταμεῖν
ἄτερον εἴη κα τοδὴ | τοῦ τοι παρεξεστακότος.

Quae quum ita sint, in hoc quoque genere frequentari illam in quarto pede caesuram videmus, nec vero prorsus vitari versus omni caesura carentes. Igitur in his quoque, quae ad caesurae rationem spectant, similitudinem potius quam differentiam deprehendimus inter utrumque genus fragmentorum et omnibus fere numeris absolutam cernimus consensionem. Ita ut non iam e subditiciis posterioris aetatis carminibus, sed e genuinis Siculi poetae fabulis eos versus sumpsisse Alcimum pro certo possit haberi. Neque enim imitatores comici credibile est adeo se in propriam Epicharmei metri indolem insinuasse, ut versus fingere possent tam similes ab omni parte Epicharmeorum. Nam omnino in condendis propriis versibus quam in perscrutandis alienis diligentiores fuisse veteres constat: ita ut imitatorum aetate

vix quisquam exstiterit, qui in intimos Epicharmei metri recessus penetrare calluerit. Nec cernimus molestam illam in versibus cudendis anxietatem, quae propria esse solet imitatorum, quamque luculentissime Rhesi scriptor ostendit*). Felici autem casu evenit, ut Pseudepicharmeos tetrametros cum Epicharmeis comparare indeque colligere possimus, num, qui eos fecit, in Epicharmeam numerorum artem se penitus insinuaverit. Nimirum e *Πολιτείᾳ*, quam nomine Epicharmi a Chrysogono factam testatur Athenaeus XIV, 648 d, novem versus tetrametri afferuntur a Clemente Alexandrino Strom. V, p. 258:

Ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ καὶριθμοῦ δεῖται πάνυ,
ζῶμεν ἀριθμῷ καὶ λογισμῷ· ταῦτα γὰρ σώζει βροτούς.

Ὁ λόγος ἀνθρώπους κυβερνᾷ, καὶ τρόπον σώζει μόνος.

Εἰ ἔστ' ἀνθρώπῳ λογισμὸς, ἐστὶ καὶ θεῖος λόγος,
ὁ λόγος ἀνθρώπῳ πέφυκε περὶ βίου καὶ τὰς τροφάς·
ὁ δέ γε τὰς τέχνας ἅπασι συνέπεται θεῖος λόγος,
ἐκδιδάσκων αὐτὸς αὐτοὺς ὅ,τι ποιεῖν δεῖ συμφέρον.
οὐ γὰρ ἄνθρωπος τέχναν εὗρ'· ὁ δὲ θεὸς ταύταν φέρει.
ὁ δέ γε τἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θείου λόγου.

Qui quidem versus plane ad modum Atticismi sunt compositi: nam longe frequentissime in iis prima et quinta arsis solvuntur, scilicet quinquies prima, quater quinta, praeterea semel tantum secunda. Inde quum in Pseudepicharmeis non obtinuisse eam, quae propria fuit Siculi poetae, tetrametros condendi artem intelligamus, illa autem apud Diogenem trochaica fragmenta omnino genuinam eius artem spirent, haec dubitari nequit quin recte Epicharmo ascribantur.

---

*) Huc maxime spectat, quod singulis fere trimetris iambicis adhibet caesuram penthemimerem, eoque tantum non omnem tollit numerorum varietatem.

Itaque quum ex genuina Epicharmi poesi videamus hos versus Alcimum hausisse, maior iam eidem poterit haberi fides in iis fragmentis, quae praeterea ex Epicharmo affert. Reliqua sunt enim apud Diogenem tria fragmenta iambicis trimetris conscripta, eademque item ex Alcimo sumpta: quae quidem nunc, quoniam minor suspicio nascitur ex Alcimi auctoritate, nostro iure Epicharmo ascribemus, donec ex argumenti ratione contrarium evincetur. Accedit autem, quod in his quoque versibus quandam metri similitudinem cum exploratae fidei fragmentis deprehendere licet: quae etsi non satis momenti habet ad demonstrandam sententiam de genuina horum fragmentorum origine, tamen iam conceptam sententiam non potest non confirmare. Etenim quum in condendis trimetris, ut quo metri genere passim tantum usus sit, minorem quam in trochaicis numeris artem posuisse Epicharmus videatur, factum est, ut maxime in caesurae legibus longe distet ab Atticorum elegantia, quum eius versus magna ex parte careant caesura. Verum quum rarius adhibeat legitimam versus trimetri caesuram, penthemimerem dico, tamen eximie delectatus esse videtur caesura hephthemimeri, de qua Porsonus egit praef. ad Eur. Hec. p. 25. Id quod apertissime cernitur, si hos versus spectes:

βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἐνδοθ', | ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος
σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, | κινεῖ δ' οὔατα
τὸν ῥᾳδίως λαψῇ τύ· | καίτοι νῦν γά θην
εὔωνον αἰνεῖ σῖτον· | ἀλλ' ἔμπας ὅδε
συνδειπνέω τῷ λῶντι, | καλέσαι δεῖ μόνον
καὶ τῷ γα μηδὲ λῶντι | κοὐδὲν δεῖ καλεῖν
ἢ παμπόνηρον ὄψον, | ὦ τᾶν, ὁ γέραρος
οὐκ ἔστι διθύραμβος | ὄκχ' ὕδωρ πίῃς.

Unde colligas, etiam alios versus, de quibus dubitari possit, esse per hephthemimerem efferendos, velut:

ἄς κά μ' ἄκρατος οἶνος | ἀμφέπῃ φρένας.

Quae quidem Epicharmi consuetudo facit ad defenden-

dam caesuram hephthemimerem contra Hermanni opinionem, qui eam nullam esse contendit in elementis d. m. p. 108. Sed quod ille dicit, hac caesura admissa posteriorem versus partem valde dissimilem esse priori, id ipsum valet ad explicandam Epicharmi consuetudinem. Ut enim trochaici tetrametri propriam gravitatem, etsi ea cum Doriensium indole egregie conveniret, tamen pro quotidiani sermonis ratione moderari studebat, ita in trimetri iambici usu videtur quodammodo alienam a Doriensibus celeritatem arcuisse. Proprius enim eius metri cursus tunc demum sentitur, quum adest caesura penthemimeris, velut in hoc versu:

ἀλλ' οὔτι γέρανον, ἀλλ' ἔρανόν γά τοι λέγω,

quo quidem intelligitur multo lentius illum incedere:

ἦ παμπόνηρον ὄψον, ὦ τᾶν, ὁ γέρανος.

Itaque lentius decurrentibus versibus delectatus est Epicharmus: similiter autem in illis ex Alcimo petitis trimetris frequentatur caesura hephtemimeris, quum reliqui versus magna ex parte caesura careant. Vide modo hos versus:

ὥσπερ γὰρ αἰκ' αὐλησιν | αὐλητὰς μαθών
ἢ ὄρχησιν ὀρχηστάς τις | ἢ πλοκεὺς πλοκάν
αἰ λῆς καταμαθεῖν ἀτενὲς, | οὐ τίκτει τέκνα
μόνα· πεπαιδεύται γὰρ | αὐταυτᾶς ὕπο.

Eamque caesuram animadvertendum est plerumque excipere spondeum in quinta sede: qui et ipse graviorem reddit trimetri incessum. Sed de hoc hactenus. Iam enim haec quoque fragmenta iambico numero conscripta e genuinis Epicharmi fabulis credi potest Alcimus sumpsisse, quum neque ipsius auctoritas prorsus sit spernenda et in numerorum conformatione aliquid cernatur singularis similitudinis.

Deinceps igitur quaerendum erit, rectene Alcimus in his Epicharmi versiculis *αἰσθητῶν καὶ νοητῶν* et idearum significationem ad modum Platonis sibi visus sit deprehendere. Quod si in uno vel altero iambici generis fragmento suo iure fecisse reperietur, illud propter temporum rationem

ab Epicharmo abiudicare satius erit: sin autem in trochaico fragmento, quippe cuius de genuina origine haud possit dubitari, Platonicae illae sententiae indagabuntur, eae quovis pacto studendum erit ut vel interpretando vel emendando amoveantur. Etenim si *αἰσθητὰ* et *νοητὰ* vel ideas Epicharmum cognita habuisse manifesto hoc fragmentum arguet, non poterit non totam, quae hucusque tradita et exculta est, historiam philosophiae funditus evertere: ita ut non iniuria illud a sua disciplina arcuisse videantur, qui historiam philosophiae tractarunt. Nimirum de Epicharmi ratione philosophandi tunc demum recte iudicabitur, si perpenderimus, qua aetate vixerit qualisque eo vivente fuerit status philosophiae. Epicharmus autem quod in marmore Pario simul cum Hierone ad Ol. LXXVII, 1 refertur, id nullam aliam ob causam factum apparet, quam quod Hierone regnante maximam est gloriam adeptus eoque eius memoria fere cum Hierone coniungitur. Quin etiam, si marmoris verba premimus, non eo anno floruisse, sed Hieronis aequalis fuisse dicitur: *ἦν δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς κατὰ τοῦτον*. Nec tamen videtur multum temporis superstes fuisse Hieroni, qui diem obiit Ol. LXXVIII, 2: nam post eius mortem haud memoratur amplius. Contra iam ante Gelonis tyrannidem Syracusis traditur fabulas docuisse Ol. LXXIII, 2 (Suidas: *ἦν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν ἔτη ἓξ διδάσκων ἐν Συρακούσαις*, quocum concinit Anonymus *π. κωμ.*: *χρόνους δὲ γέγονε κατὰ τὴν ογ' Ὀλυμπιάδα*). Quum vero sub idem fere tempus (*ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν*) Athenis in scenam prodiisse Chionidem auctor sit Suidas (quod quidem testimonium temere reiecit Meinekius in hist. com. Gr. p. 27.), quumque ab Aristotele Poet. 2 dicatur *πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδου καὶ Μάγητος*: Megaris dubitari nequit quin multo iam ante fabulas docuerit. Chionidem longe recentiorem fecit Meinekius, quia Epicharmi *ἀκμήν*, quae quidem nobis ipsa est indaganda, circa Ol. LXXIII esse crediderat: quod

autem alterum argumentum inde sumpsit, quod Gnesippus poeta ludicrus et a Cratino et in Pseudochionidea fabula *Πτωχοῖς* commemoratus fuerit (Athen. XIV, 638,) ei ne tunc quidem quidquam tribuendum esset, si recte ea fabula Chionidi ascriberetur: quidni enim potuit Gnesippus per aliquot Olympiades artem exercere suam, ita ut et Chionidis et Cratini aetatem attingeret? Magnetem vero, quem Chionidi fere aequalem fuisse significat Aristoteles, non amplius sexaginta annos vixisse, quae est Meinekii sententia, propter Aristophanis verba in Equitum parabasi 524, 525: *ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ' ἥβης ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν*, vix equidem crediderim. Itaque Magnetem si statuimus pariter atque Chionidem circa Ol. LXXIII fabulas agere coepisse, haud multum a vero aberrabimus: eoque tempore consentaneum est iam provectiorem aetate fuisse Epicharmum, quoniam Magnes auctore Suida *ἐπιβάλλει Ἐπιχάρμῳ νέος ὢν πρεσβύτῃ*. Quodsi paullo post Hieronis obitum, i. e. circa Ol. LXXVIII vel LXXIX mortuus est Epicharmus, natum esse consequitur circa Ol. LVI, siquidem nonaginta annos vixit auctore Diogene, cui equidem in hac re plus tribuam quam Luciano. Is enim quod nonaginta septem annorum numerum posuit in Macrobiis 25, illud ut ipse dubitanter fecit quum scriberet: *καὶ Ἐπίχαρμος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς καὶ αὐτὸς ἐνενήκοντα καὶ ἑπτὰ ἔτη λέγεται βιῶναι*, ita de Cratino et Philemone, quos ad eandem aetatem pervenisse modo narraverat, magis est credibile aliquid certi traditum fuisse quam de Epicharmo, ut illorum aetas ad Siculum comicum videatur translata esse. Nonaginta autem annorum numerum in universum recte tributum esse Epicharmo neutiquam destitutum est probabilitate. Quae si ita sunt, circa Ol. LXXIII, quo tempore iuvenes fuerunt Chionides et Magnes, recte senex dictus est Epicharmus, ita ut Suidae illud testimonium confirmetur. Quae enim de Pythagorae discipulo Epicharmo multi com-

menti sunt, ita ut inde aliquid de eius aetate colligi posse videretur, ea nihili esse egregie docuit Welckerus. Haec autem, quae hucusque invenimus, etsi accurata definitione carent, tamen sufficiunt, ut universum, qualis ea aetate fuerit, statum philosophiae mente repraesentemus.

Etenim si recte Epicharmi aetatem descripsimus, aequalis fere fuit Heraclito, qui circa Ol. LXIX floruit teste Diogene Laertio. Paullo antiquior habendus est Xenophanes, cuius memoria ut saepius cum Epicharmo coniungitur, ita hoc loco Clementis Alexandrini, qui ad definiendam Xenophanis aetatem pertinet, Strom. I, p. 301: *τῆς δὲ Ἐλεατικῆς ἀγωγῆς Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος κατάρχει, ὃν φησι Τίμαιος κατὰ Ἱέρωνα, τὸν Σικελίας δυνάστην καὶ Ἐπίχαρμον τὸν ποιητὴν γεγονέναι· Ἀπολλόδωρος δὲ κατὰ τὴν τεσσαρακοστὴν Ὀλυμπιάδα γενόμενον παρατετακέναι ἄχρι τῶν Δαρείου τε καὶ Κύρου χρόνων.* Apollodori iudicium falsa computatione niti dudum est intellectum: verum iniuria Timaeus quoque vulgo creditur falsus esse. Neque enim in eo multum a vero aberravit, quod Xenophanem Epicharmo fecit aequalem: qui quum fere cum Hierone coniungi soleat, Hieronis quoque memoriam addidit, inconvenienter sane rationibus temporum. Quanquam fortasse ne ipsius quidem Timaei hic est error, sed additum est vel a Clemente vel ab alio, qui eum praecessit, Hieronis nomen: quia scilicet Hieronis aetas magis cognita esse putabatur quam Epicharmi. Verum quum certe non post Epicharmum vixerit Xenophanes, nihil profecto obstat quominus Xenophanis doctrinam Epicharmo notam eiusque aetate in mentibus hominum versatam fuisse arbitremur. Paullo recentior Epicharmo habendus est Parmenides, qui, utpote Elea oriundus, non potest ante Ol. LXI natus esse, cuiusque florem inter Ol. LXIX et LXXX probabiliter descripsit Karstenius. Itaque etsi Parmenidis discipulus esse nullo modo potuit Epicharmus, tamen eius doctrina viguisse putanda est, quum Epicharmus scriberet. Pytha-

gorcorum tempora adeo obscura sunt, ut nihil amplius definiri possit, quam exstitisse eorum doctrinam aetate Epicharmi: quatenus tunc progressa sit et exculta, omni ex parte ignoratur. Ex horum igitur, quos recensui, philosophorum fontibus derivare Epicharmus potuit, quae in philosophico genere apud eum reperiuntur. Neutiquam vero ad eius explicationem adhibendi sunt, qui post eum vixerunt philosophi, veluti Melissus, Empedocles, Anaxagoras. Melissum enim circa Ol. LXXXIV floruisse statuit Apollodorus: ad quod quidem tempus etiam Empedoclis ἀκμὴν refert Diogenes. Quod autem de Empedocle et Anaxagora dicit Aristoteles Metaph. I, 3: Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος τῇ μὲν ἡλικίᾳ πρότερος ὢν τούτου (Ἐμπεδοκλέους), τοῖς δ' ἔργοις ὕστερος: id non solum Anaxagorae notitiam minus etiam quam Empedoclis habere potuisse Epicharmum arguit, sed facit ad definiendam Empedoclis aetatem. Nam quum Ol. LXX natus sit Anaxagoras auctore Apollodoro, aliquanto post consentaneum est natum esse Empedoclem. Quocirca vix potuit ante Ol. LXXX doctrina florere philosophica: qua aetate etiamsi adhuc superstes fuit Epicharmus, quod parum crediderim, tamen adeo fuit senectute provectus, ut novae philosophiae placita vixdum posset ingenio informare. Accedit autem aliud, unde post Ol. LXXVIII, 3 non amplius res philosophicas ab Epicharmo, siquidem vixit adhuc, in comoediis tractari potuisse colligam. Eo enim anno pulso Thrasybulo libera respublica instituta est Syracusis: quis autem credat in recens condita democratia philosophicis quaestiunculis delectatos esse theatri spectatores? Quales quidem sub Hieronis tyrannide, quum homines securum agebant aevum, probabile est multorum animos tenuisse. Quanquam enim turpiter confictum est, quod Iamblichus dicit in vita Pythagorae c. 36: ἀφικόμενον δὲ εἰς Συρακούσας διὰ τὴν Ἱέρωνος τυραννίδα τοῦ μὲν φανερῶς φιλοσοφεῖν ἀποσχέσθαι, εἰς μέτρον δ' ἐνεῖναι τὰς διανοίας τῶν ἀνδρῶν

μετὰ παιδιᾶς κρύφα ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα: tamen eo niti videtur, quod philosophici argumenti fabulas sub Hierone maximam partem actas esse constabat. Atque ex ea re intelligitur, quid sit, quod Epicharmi memoria omnino cum Hieronis nomine iungi solet: nam hoc ipso genere fabularum maxime inclaruit Epicharmus.

Itaque quum Empedoclis placita haud potuerit in fabulis suis tractare comicus, ea ab Epicharmeae rationis explicatione oportebit segregari: confugiendum vero erit ad eorum, quos ante recensui, philosophorum sententias. Multo autem minus quae Platonis sunt propria, ut qui plus centum annos post Epicharmum vixerit, par est in Siculum poetam inferre: id quod Alcimum secutus fecit vir de Epicharmo egregie meritus, sed in philosophico genere parum diligens, Grysarius in libro de Doriensium comoedia p. 119 sqq. Iam quum sit primi fragmenti initium:

ἀλλ' ἀεὶ τοὶ θεοὶ παρῆσαν χὠπέλιπον οὐπώποκα,
τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί,

per *θεοὺς* intelligi censet ideas, ita ut ideas sempiternas priore versu, altero res mundanas ad idearum similitudinem formatas esse eoque semper aequabiles manere significetur. In quo ne Graecum quidem est, quod *διὰ τῶν αὐτῶν* ad praegressum priore versu *τοὶ θεοὶ* referri putat: sic enim *διὰ τούτων* vel *δι' ἐκείνων* dicendum erat. Quod autem eundem philosophum hic res sensibiles per ideas semper aequabiles manere, mox autem in posteriore fragmenti parte continuo immutari et fluctuare facit docentem, id non potest ullo pacto concinnari. Quam enim differentiam statuit inter universum sive complexum *τῶν αἰσθητῶν*, qui hic semper idem manere significetur, et singula *αἰσθητά*, quae in continuo fluxu esse mox perhibeantur, ea nihil potest ab antiquiore philosophia cogitari alienius. Nulla tamen ratione credi potest, eum philosophum, qui idearum similitudine omnia contineri docuerat, statim hominis naturam ab hac similitudine

eximere, quum alium alio die esse quemvis hominem doceat. Omnino autem quod pro systemate Epicharmeo habet Grysarius, in eo quasi in Empedoclea sphaera diversissima quaeque, Platonis ideae, continua κίνησις, Pythagoreorum numeri, quattuor elementa corporea reperiuntur tranquilla pace coniuncta: quae quidem vix potuit sociare antiquioris philosophiae simplicitas. Neque enim eclecticos compertum est illo iam tempore exstitisse. Verum vel propter illatas in Epicharmum ideas aliter atque Grysarius fecit explicari hoc fragmentum oportebit: praesertim quum eius interpretationem nec verba commode patiantur nec nexus sententiarum. Iam priore versu quod deos semper manere poeta dicit, id non est cur ex arcana philosophorum sapientia necessario repetatur: sed altero quaeritur quid sit τάδε. Apparet rem aliquam deis oppositam significari, ita ut de rebus mundanis cogitare haud absonum fuerit: ea ut semper similia esse praetereaque semper διὰ τῶν αὐτῶν praedicentur. Quod quidem non potuit non mirum videri ab eo efferri, qui in posteriore fragmenti parte omnia caduca esse continuoque mutari significaret. Propterea Isaacus Casaubonus scribendum coniecit:

τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοι', οὐ διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.

Bernhardyus autem, qui in Erschii et Gruberi encyclopaedia de Epicharmo disputavit, de restituendo et interpretando fragmento modo non desperare videtur, quum, nisi quid gravius passi sint versus, hoc certe exspectari dicat:

τοὶ δ' ἀεὶ πάρενθ' ὅμοιοι, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί:

quod est profecto nodum secare, non solvere. In quam opinionem haud scio an inductus sit Marquardi Gudii errore, qui τάδε prorsus idem significare ac priore versu τοὶ θεοὶ arbitratur: utrumque enim de quattuor elementis intelligit. Quem impugnans Mericus Casaubonus patris sententiam defendit, sed ita obscure defendit, ut, quid voluerit, haud facile assequare. Summa autem disputationis haec

esse videtur, quod rerum naturam ex iisdem constare substantiis, sed tamen permutari ex Epicharmi sententia, praeterea praepositionem *διὰ* ad personas referri significat eoque opponi *ἐκ* praepositioni, quae ad causas elementares spectet. It a ut fortasse hanc sententiam esse verborum voluerit: Haec autem, sc. elementa, semper eadem manent, nec tamen iisdem semper viribus agitantur. Id quod quadret fere cum Empedoclis placito, mundi mutationem eo exsistere, quod elementa, etsi ipsa aeterna sint, tamen varia semper virium contentione agitentur,

ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἕνα κόσμον,
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

Verumtamen quum Empedocles aliquantum temporis post Epicharmum vixerit, illius sententiarum nullus potest usus esse ad interpretandum Epicharmi fragmentum. Empedoclem autem primum quattuor elementa statuisse manifesto constat Aristotelis testimonio, Metaph. I, 4: *ἔτι δὲ τὰ ὡς ἐν ὕλης εἴδει λεγόμενα στοιχεῖα τέτταρα πρῶτος εἶπεν*: eoque omnes eorum opiniones redarguuntur, qui quattuor elementa ab Epicharmo significari arbitrantur, adducti maxime Menandri versibus apud Stobaeum Flor. 91, 29:

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, ἀστέρας.
ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς
[ὡς] ταργύριον ἡμῖν [τε] καὶ τὸ χρυσίον.
ἱδρυσάμενος τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν
εὔξαί τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται κ. τ. λ.

Hi autem versus apparet quam aegre talem ad quattuor elementa patiantur relatum: quum *ἥλιον* et *ἀστέρας* certe elementis non annumeraturus fuisset Epicharmus. Quo nexu talis sententia apud eum fuerit prolata, hodie praestabit ignorare. Quanquam quum in Menandreo fragmento Epicharmeae alia sententia opponatur, qua dei valde utiles habentur ad quamvis rem perficiendam vel impetrandam, non

est improbabile aliquod dictum a Menandro significari, quo vulgares dei tanquam inanes fuerint irrisi: quo quidem imprimis spectant ab initio collocata *ἄνεμοι* et *ὕδωρ*. Hanc explicationem nisi ipsa Menandri verba suppeditarent, in promptu esset de naturae viribus cogitare, quibus quidem saepenumero a poetis tributa est vis divina. Quid? quod etiam aequalis Epicharmi Aeschylus eas ita significat, ut quattuor illas partes distinguere videatur, in Prometheo v. 88—91:

ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαὶ,
ποταμῶν τε πηγαὶ, ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου λέγω.

At quis colligat inde, quattuor elementa Aeschylo cognita fuisse? Etsi autem illam quadripartitam naturae divisionem non ab Empedocle originem duxisse ipsi evincunt Aeschyli versus, tamen haec divisio non valet ad defendendam eorum opinionem, qui elementa cumque iis certum et in genera divisum *ὕλης εἶδος* tribuunt Epicharmo, ad quod illa *ὅμοια* et *διὰ τῶν αὐτῶν* referri possint. Nec plus momenti habet, quod Vitruvius scribit lib. VIII praef. *Pythagoras, Empedocles, Epicharmus aliique physici et philosophi haec principia quattuor esse posuerunt: aërem, ignem, aquam, terram, eorumque inter se cohaerentes naturali figuratione ex generum discriminibus efficere qualitates.* Vitruvium enim videmus cum iis sentire, qui Empedoclem existimarunt e Pythagoreorum fontibus doctrinam suam hausisse eumque ut *ἐξωτερικὸν* composuerunt cum Epicharmo. Quantopere autem etiam diversissima antiquiorum philosophorum placita Romani imprimis miscuerint et confuderint, non est quod moneam.

At possit quis Merici Casauboni, quae esse videtur, interpretationem ita tueri, ut substantias quasdam ab Epicharmo significari putet, sed diversas illas ab Empedoclis elementis: veluti si quis Parmenidis *ἀρχὰς, φάος καὶ νύκτα,*

substantiarum locum tenere censeat. Verum tali sententiae ille ipse, quem supra attuli, locus Aristotelis obstat: ex quo quidem non solum quattuor elementa primum statuisse, sed etiam τὸ ὕλης εἶδος primum divisisse Empedoclem intelligitur. Nam eo aperte Empedoclem a τοῖς πρότερον distinguit Aristoteles, quod ille primus et τὴν αἰτίαν et τὸ ὕλης εἶδος diviserit: Ἐμπεδοκλῆς μὲν οὖν παρὰ τοὺς πρότερον πρῶτος ταύτην τὴν αἰτίαν διελὼν εἰσήνεγκεν, οὐ μίαν ποιήσας τὴν τῆς κινήσεως ἀρχήν, ἀλλ' ἑτέρας τε καὶ ἐναντίας. ἔτι δὲ τὰ ὡς ἐν ὕλης εἴδει λεγόμενα στοιχεῖα τέτταρα πρῶτος εἶπεν· οὐ μὴν χρῆταί γε τέτταρσιν, ἀλλ' ὡς δυσὶν οὖσι μόνοις, πυρὶ μὲν καθ' αὑτό, τοῖς δ' ἀντικειμένοις ὡς μιᾷ φύσει, γῇ τε καὶ ὕδατι. Accedit quod praeter Parmenidem nemo, quod sciamus, eiusmodi divisionem ante Empedoclem instituit, Parmenidis autem φάος καὶ νύκτα, quas quidem ipse μορφὰς appellet, nemo facile pro substantiis habebit. Tantummodo minus diligenter locutus est Karstenius (in Parmenidis reliquiis p. 222,) quod aetheriam et terrenam materiem ea appellavit: nihil enim nisi principia sunt intelligenda. Quo autem pacto illa possint οὐ διὰ τῶν αὐτῶν dici, quum ἀρχαὶ non alienis viribus agitentur, sed ipsae vires sint? Potestne autem διὰ τῶν αὐτῶν ἐστιν hoc ipsum significare: iisdem viribus agitantur?

Illud enim recte intellexit Mericus Casaubonus, quod reliqui omnes omisisse videntur, prae aliis inquirendum esse in significationem verborum διὰ τῶν αὐτῶν. Ipse tamen quod praepositionem διὰ ad personas referri dicit, oppositam τῷ ἐκ, quo causae elementares significentur, id nihil facit ad interpretandum versum, nisi quis cum Grysario τῶν αὐτῶν ad praegressos priore versu τοὺς θεοὺς referre velit. Magis etiam soloecum est, quod Marquardus Gudius διὰ τῶν αὐτῶν pro δι' ἑαυτῶν accipere videtur, ut dei ex se ipsis pendere dicantur. Neque ipsius Merici Casauboni interpretatio personalem vim praepositionis διὰ servat, quum

Empedoclis *νεῖκος* et *φιλότης* nequeant pro personis haberi: atque haud scio an vires efficaces potius quam personas indicare voluerit. Illud tamen cum fructu annotavit vir egregius, etsi ipse eo invento parum usus: »Caeterum *διὰ τῶν αὐτῶν* apud Hippocratem, qui toties utitur, eam vim habere docent viri docti, ut ea phrasi *τὰ περιστατικὰ καὶ συμπτωματικὰ* morbi eadem esse semper innuat.« Aptius fortasse exempla aliquot attulisset magno patre progenitus filius, ne post viventibus perlegendi Hippocratis laborem crearet. Quem ne quis post me denuo suscipiendum ducat, ascribam, quibus hanc loquendi formam apud Hippocratem exstare repperi, paginarum numeros, petitos ex editione Foësiana. Sunt autem p. 134, 168, 209, 969, 970, 979, 1067, 1072, 1079, 1080, 1093, 1106, 1109, 1239. Maxime illa quidem frequentatur primo et tertio libro *Ἐπιδημιῶν* in morborum descriptionibus, ubi, in quo statu singulis quibusque diebus aegroti fuerint, accuratissime exponitur. Eundem vero quem antea statum aliquo die permanere hac formula significatur: *ἔκτῃ διὰ τῶν αὐτῶν, ἑνάτῃ. διὰ τῶν αὐτῶν* etc. Ad quae verba quum in promptu sit supplere *συμπτωμάτων* vel potius, ut Hippocrateo verbo utar, *σημείων*, malo tamen *διὰ τῶν αὐτῶν* ad analogiam locutionum *διὰ ταχέων* (quam quidem frequentat Hippocrates,) *διὰ βραχέων* ita intelligere, ut sit: eodem modo, eadem ratione. Neque enim aliam explicationem admittit, quod in tertio *Ἐπιδημιῶν* est p. 1106 *οὖρα διὰ τῶν αὐτῶν*: urinae eadem ratione. Atque haec quidem in libris *Ἐπιδημιῶν* primo et tertio, quibus ipsis nulli certius ad magnum Hippocratem referuntur, quosque severissimus etiam iudex Hippocrateorum, Linkius, pro antiquis certe habet: ita ut pro antiquioris sermonis testimonio esse possint gravissimo. Sed reliqua etiam Hippocratea, etsi paullo recentiore tempore orta, tamen Graece sunt scripta, ut ex iis quoque disci queat, quid usus ferat linguae Graecae. Iam vero in septimo libro *Ἐπιδημιῶν*,

spurio opere, idem illud quod antea reperitur p. 1239: *οἶρα διὰ τῶν αὐτῶν*. Eadem pagina in descriptione aegroti, in quo ante fuerat *καταφορὴ πολλὴ μετὰ ἀφωνίης*, hoc dicitur: *καὶ ἡ καταφορὴ διὰ τῶν αὐτῶν*, quod idem nihil significat aliud nisi: propensio in somnum eadem ratione, ut magis etiam illa vis formulae fiat aperta. In *Κωακαῖς προγνώσεσι* autem bis exstat: *αἱ πυκναὶ διὰ τῶν αὐτῶν ὑποσιρυφαὶ* p. 134, p. 209: id quod prorsus convenire apparet cum illo formulae usu in morborum descriptionibus. Accedit quod in eodem libro est p. 168: *ἢ τῶν τοιούτων κοιλίαι ῥοώδεσι διὰ τῶν αὐτῶν ἰόντων*, ubi *διὰ τῶν αὐτων ἰέναι* non differre intelligitur a loquendi formis *διὰ φιλίας ἰέναι* in amicitiae statu esse, *δι' ἐχθρας ἰέναι*, similibus. Ceterum cognatae locutiones in Hippocrateis sunt *τὰ αὐτὰ* p. 744, 1142, *καὶὰ τὰ αὐτὰ* p. 744, 745, item *περὶ τὰ αὐτὰ*, quod quidem in morbi descriptione in tertio libro *Ἐπιδημιῶν* p. 1066 non aliter atque alias *διὰ τῶν αὐτῶν* usurpatur.

Itaque quum usus linguae Graecae illam vocum *διὰ τῶν αὐτῶν* significationem corroborasse videatur, eandem oportebit ad eos locos transferri, quorum dubius esse potest intellectus. Id quod necessario statuendum est de fragmento Philolai apud Stobaeum Ecl. ph. 360: in quo quod Boeckhius *διὰ τῶν αὐτῶν* de materia intellexit, ut superius et inferius hemisphaerium ex iisdem rebus constare dicantur, usus est significatione praepositionis *διὰ*, quae recentiorum propria est scriptorum. Verum eius fragmenti interpretationem, quia cum multiplici coniuncta est disputatione, excursui reservare malo. Item in eo, quem nos tractamus, Epicharmi versu *διὰ τῶν αὐτῶν* nihil potest significare aliud, nisi *τάδε*, quaecunque ea sunt, semper eadem ratione se habere: quocum concinit, quod in eodem versu semper *ὅμοια* esse dicuntur. At quaenam sunt *τάδε*? Ad substantivum aliquod, quod in praegressis necdum relicuis

versibus appellatum fuerit, referri pronomen est consentaneum: cuius notio quum a deis diversa cogitanda sit necessario, quumque de quattuor elementis propter aetatem Epicharmi, de Parmenidis ἀρχαῖς (ut in quas illud διὰ τῶν αὐτῶν ἐστι non cadat) propter sententiae rationem sermo esse nequeat, de rebus mundanis in universum agi est in promptu. Eae quo pacto in prioribus appellatae fuerint, sive τὰ πάντα, sive τὰ ὄντα sive alia ratione circumscribendo, non licet indagare: notionem non diversam ab hac esse, omni est ex parte probabile, certe donec alia nulla prolata fuerit, quae huc quadrare videatur. At quis unquam philosophorum hoc docuit, quod iam effertur versu Epicharmeo: res mundanae semper pares sunt ac semper eadem ratione se habent?

Haec ut enucleetur difficultas, reputandum est, cuiusnam philosophiae placita hic credibile sit vel exponi vel indicari. Quarto enim et quinto versu quod legitur:

πῶς δ'; ἀμάχανόν γ' ἀπὸ τίνος; μηδὲν ὅ,τι πρᾶτον μόλοι·
οὐκ ἄρ' ἔμολε πρᾶτον οὐδὲν οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον,

nemini potest non in mentem vocare celebre illud Eleatarum placitum, *nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam*. Quocirca τὸ ὂν aeternum esse et ingenitum docuerunt Xenophanes teste Aristotele de Xen. Zen. Gorg. c. 3: Ἀδύνατόν φησιν εἶναι, εἴ τι ἔστι, γενέσθαι, τοῦτο λέγων ἐπὶ τοῦ θεοῦ — εἰ γὰρ γίγνοιτο ἐξ ἀσθενεστέρου τὸ ἰσχυρότερον ἢ ἐξ ἐλάττονος τὸ μεῖζον ἢ ἐκ χείρονος τὸ κρεῖττον ἢ τοὐναντίον τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων, τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος ἂν γενέσθαι· ὅπερ ἀδύνατον· ἀΐδιον μὲν οὖν διὰ ταῦτ' εἶναι τὸν θεόν: et Parmenides versibus fragmenti, quod exstat apud Simplicium Phys. 34:

τίνα γὰρ γέννην διζήσεαι αὐτοῦ
πῆ πόθεν αὐξηθέν; οὔτ' ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω
φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν· οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν

ἐστιν ὅπως οὐκ ἐστι· τί δ' ἂν μιν καὶ χρέος ὦρσεν
ὕστερον ἢ πρόσθεν τοῦ μηδενὸς αὐξηθῆναι.

Idem uterque praecepit: ita ut ab utroque illud sumere potuerit Epicharmus. Praeterea autem eodem Aristotelis loco alia Xenophanis sententia reperitur, quae cum Epicharmi verbis convenit: neque enim solum *ἀΐδιον* esse, sed etiam *ὅμοιον πάντῃ* deum sive *τὸ ὄν* significatur. Id quod Parmenides sic expressit apud Simplicium Phys. 19:

Οὐδὲ διαίρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστιν ὅμοιον.

Quod autem Xenophanes praeterea de ente praecipit, apud Simplicium Phys. 6:

αἰεὶ δ' ἐν ταὐτῷ τε μένειν κινούμενον οὐδέν,

et Parmenides (Simpl. Phys. 9:)

ταὐτὸν δ' ἐν ταὐτῷ τε μένον καθ' ἑαυτό τε κεῖται,

convenit cum eo, quod Epicharmus *τάδε* semper *διὰ τῶν αὐτῶν* esse dicit. Haec igitur quum haud exigua inter Eleatarum placita et Epicharmi versus consensio appareat, illud tamen miri intercedit discriminis, quod, quae Eleatae de uno ente suo, ea Epicharmus de plurali numero praecipit, cuius quidem anquiritur notio accuratior. Tantum enim abest ut pro Eleatico ente etiam plura *ὄντα* substitui possint, ut unum esse *τὸ ὄν* dedita opera demonstraverit Xenophanes, cuius ratiocinatio exstat iam citato loco Aristotelis: *Εἰ δ' ἐστὶν ὁ θεὸς ἀΐδιον κράτιστος, ἕνα φησὶν αὐτὸν προσήκειν εἶναι· εἰ γὰρ δύο ἢ ἔτι πλείους εἶεν κ. τ. λ.*: quod et ipsum significat Parmenides, *ἓν ξυνεχὲς* dicens atque: *οὐδὲ διαιρετόν ἐστιν*. Ita ut pluralis numerus ab entis natura alienus esse, eoque mirum quantum ab Eleatis discedere Epicharmus videatur, quod et *τοὺς θεοὺς* et *τάδε* plurali posuit. Verum iam antiquitus tanquam summa Eleaticae doctrinae hoc dictum celebrabatur: *ἓν τὰ πάντα*, idque ex Eleatarum rationibus fatendum est facile consequi. Nam Xenophanes quidem ens suum deum fecit, sed ita ut qui de rebus mundanis e Xenophanis mente quaerere institueret, non posset

non ad eas entis naturam transferre: idque fecit Aristoteles de Xen. Zen. Gorg. 4: *ἔτι οὐδὲν μᾶλλον ὁ θεὸς ἀγέννητος ἢ καὶ τἆλλα πάντα, εἴπερ ἅπαντα ἐξ ὁμοίου ἢ ἀνομοίου γέγονεν· ὅπερ ἀδύνατον. ὥστε ἢ οὐδέν ἐστι παρὰ τὸν θεὸν, ἢ καὶ τἆλλα ἄϊδια πάντα.* Quaeritur enim hic de rebus mundanis, quales revera sint, non quatenus sensibus subiectae sunt et *δόκος ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.* Propius autem ad illam ab Aristotele indicatam sententiam accessit Parmenides, qui ens per rerum naturam quasi expansum fecit, ita ut ei *ἐὸν* sive *ὄν* prorsus idem evadat ac *πᾶν* sive *ὅλον*, velut in his versibus apud Simplicium Phys. 19:

Οὐδὲ διαίρετόν ἐστιν, ἐπεὶ πᾶν ἐστιν ὅμοιον,
οὐδέ τι τῇ μᾶλλον τό κεν εἴργοι μιν ξυνέχεσθαι
οὐδέ τι χειρότερον· πᾶν δὲ πλέον ἐστὶν ἐόντος·
τῷ ξυνεχὲς πᾶν ἐστιν, ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει.

Quod ens enti cohaerere dicit, extendi per omnia ens significat, etsi obscure significat. Quid? quod recte fere Aristoteles ea, quae de ente praeceperunt Eleatae, ad mundi universitatem retulit, iniuria ob eam rem reprehensus a Karstenio. Ipse enim Karstenius, quanquam id diffitetur, Neo-Platonicos magis quam Aristotelem sequitur, quum logicam pro physica statuat entis naturam, atque si non appellationem, at tamen notiones *τῶν νοητῶν* et *αἰσθητῶν* in eorum doctrinam inferat. Aristoteli autem propterea maxime fidem denegat, quod ille in antiquiorum placitis exponendis saepius obtrectandi libidine ducatur, deinde etiam suas notiones illorum sententiis adiiciat. Quod extremum etsi recte monuit, tamen ita suas notiones antiquioribus adhibere solet Aristoteles, ut ne eorum sententias penitus pervertat: velut quod Eleatas solum *τὰ αἰσθητὰ* respexisse dicit, vocabulo usus est minime accommodato, quum dicere debuisset *τὰ φυσικὰ*, sed rem recte designavit. Praeterea ut de antiquiorum laudibus nimium detrahere studuerit, tamen in universum obtrectatores, modo illi veritatis studio non destituti, me-

liores haberi testes possunt quam laudatores, quales fuerunt Neo-Platonici: nam ea attentius fere considerare et perscrutari solemus, quae reprehendimus, quam quae magni habemus. Quantum autem in Empedoclis exponenda ratione, cui eandem *αἰσθητῶν et νοητῶν* notionem obtrudere studuerunt, alucinati sint Neo-Platonici, etiam Simplicius, ipse egregie docuit Karstenius in Empedoclis reliquiis p. 369—377. Contra Aristoteles vel ideo fidem meretur, quia in explicandis, quae ad Eleatarum sententias pertinent, eximie sibi constat: omnia enim eius dicta inde proficiscuntur, quod Eleaticum ens de rerum universitate intelligit. In quo minime illud quoque est praetervidendum, quod Aristoteles cum Platone concinit, qui *ἓν τὰ πάντα* ex eorum sententia dicit in Theaeteto p. 180 e, eosque *τοῦ ὅλου στασιώτας* appellat 181 a. Ita ut omnino iniquius iudicaverit Karstenius in Xenophanis reliquiis p. 96: »Neque Aristotelis opinioni nimis oportet confidere, quia hic in antiquiorum placitis interpretandis saepius halucinatur.« Quodsi quae placita antiquioribus tribuit Aristoteles, quae non pronunciarunt ipsi, illud ita fere facit, ut ex ipsorum sententiis quae necessario consequantur concludat, non ut prorsus nova et ab ipsorum mentibus aliena iis affingat. Ceterum ut per se probabilis est ratio Aristotelis, ita etiam aliunde confirmatur. Etenim Empedoclem constat multa eorum, quae de ente praeceperant Eleatae, ad quattuor elementa retulisse, immo in eo saepenumero presse secutum esse Parmenidem. Iam si Eleatarum ens nihil esset nisi notio logica, quinam posset ab ea ad substantias illas corporeas transitus cogitari? Verum si physicum ens fuit Eleatarum, quod quidem congrueret cum mundi universitate, nihil magis in promptu esse potuit quam illud dividere ac pro una necdum sat finita essentia (sit enim venia verbo) certas substituere substantias. Miror autem Zellerum, qui Eleatici entis rationem rectissime perspexisse mihi quidem videtur,

ex Eleatico ente Empedoclis *φιλίαν* deducere (in hist. phil. I, 181,) quam quidem solum *ἑνοποιὸν αἰτίαν* esse Karstenius docuit in Empedoclis reliquiis p. 318: eamque etsi *τοῦ ἑνὸς* nomine appellavit Aristoteles, tamen cum ea, utpote qualitatis experti, multo minus convenit Eleaticum ens quam cum elementis. Quocirca quin Eleatarum ens pro physico sit habendum, haud potest dubitari.

Sed ut de eo nec Xenophanes nec Parmenides cogitarint, ens suum congruere cum eo quod est *τὸ πᾶν* sive *τὰ πάντα*, illud tamen plane affirmavit Parmenides, res mundanas nec gigni nec interire nec immutari, velut hoc versu (v. 76 K:)

τῶς γένεσις μὲν ἀπέσβεσται καὶ ἄπιστος ὄλεθρος.

Idem testificatur Aristoteles Phys. I, 8: *ζητοῦντες γὰρ οἱ κατὰ φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν φύσιν τὴν τῶν ὄντων, ἐξεπλάγησαν οἷον ὁδόν τινα ἄλλην ὑπὸ ἀπειρίας· καὶ φασὶν οὔτε γίγνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν οὔτε φθείρεσθαι, διὰ τὸ ἀναγκαῖον μὲν εἶναι γίγνεσθαι τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὄντος ἢ ἐκ μὴ ὄντος κ. τ. λ.* et similiter de Coelo III, 1. Itaque quum Epicharmi versus non ad continuam argumentationem, verum ad institutam inter duos homines disceptationem pertineat, facile intelligitur, quo pacto ab alio interrogatus eo perduci potuerit Eleaticus philosophus, ut *τὰ πάντα* sempiterna esse semperque paria affirmaret. Statuamus igitur, oppositam fuisse Eleaticarum asseclae sententiarum *κίνησιν* illam et *ἀλλοίωσιν*, quae in rebus omnibus conspiceretur, quid ille potuit respondere nisi:

τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί?

Item quod non de uno deo, quem solum norat Xenophanes, sed de pluribus loquitur, adversarii causa fieri videmus, ut quem deorum aeternitatem negare pateat ex eo quod sequitur:

ἀλλὰ λεγέται μὰν χάος πρᾶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.

Similiter ipse etiam Xenophanes contra opinionem eorum

pugnavit, qui deos gigni putarunt, apud Clementem Alexandrinum Strom. V, 601:

ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι [ἀμαυροὶ]
τὴν σφετέρην ἐσθῆτά τ' ἔχειν μορφήν τε δέμας τε.

Cui opinioni in disceptationis cursu commode etiam Xenophanis discipulus opponere potuit:

ἀλλ' ἀεὶ τοὶ θεοὶ πᾶρῆσαν χὐπέλιπον οὐπώποκα.

Accedit quod comicus poeta, quum in scena homines faceret disputantes, non potuit profecto in intimos philosophicae doctrinae recessus penetrare, sed satius habuit in iis versari, quae ad vulgi captum essent accommodatiora. Ita ut suo iure scenicus philosophus de deis praedicaverit, quod e genuina Eleatarum mente de uno deo sive ente erat declarandum. Similiter quia sublimis illa τοῦ ὄντος notio non quadrabat in spectatorum mentem, de mundo sive τοῖς πᾶσι, qualicunque modo ea antea significata fuerunt, dixit ea, quae ex Eleatarum sententiis consequebatur dicenda esse. Atque hoc extremum etiam latius patet. Ipsam enim hanc sententiam, quam posteriores pariter atque Epicharmus ex Eleaticis placitis effecerunt, et ad quam omnium proxime Zeno accessit, aeterna esse omnia nec immutari, sic pronuntiatam fatendum est aliquid absurdi habere. Quocirca non sine quadam irrisione id putandus est ingeniosus poeta posuisse, quo, quod minus firmum intelligeret in Eleatarum esse doctrina, tecte simul et facete significaret. Nam posteriores quoque philosophi illud tanquam Eleaticum placitum propterea maxime diffamarunt, quia illud imprimis absonum esse videbatur ansamque praebebat reprehendendi. Ea autem ratione, qua, quod de uno ente praeceperant Eleatae, ad rerum complexum transtulit Epicharmus, viam quodammodo praecivit Empedocli, qui et ipse, quae de ente effatus erat Parmenides, cum rerum natura coniunxit. Is enim pro indefinita illa essentia, quae per rerum naturam tanquam commearet, certam substantiae notionem, τὸ ὕλης εἶδος,

substituit, quum ad quattuor elementa transferret, quae de ente docuerant Eleatae: veluti hos versus dubitari nequit quin de elementis proferat, apud Aristotelem de Xen. Zen. G. p. 2:

ἔκ τε μὴ ὄντος ἀμήχανόν ἐστι γενέσθαι,
τό τ' ἐὸν ἐξόλλυσθαι ἀνήνυστον καὶ ἄπρηκτον·
αἰεὶ γὰρ στήσονται ὅπῃ κέ τις αἰὲν ἐρείδῃ.

et apud Simplicium Phys. I, 34:

τοῦτο δ' ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν;
πῇ δέ κε καὶ ἀπόλοιτο; ἐπεὶ τῶνδ' οὐδὲν ἔρημον·
ἀλλ' αὖτ' ἔστι γε ταῦτα, δι' ἀλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἄλλοτε ἄλλα διηνεκὲς, αἰὲν ὁμοῖα.

Illud tamen recordandum est, Epicharmum non ad modum Empedoclis provexisse philosophiam versibus suis: neque enim ut ille novam magisque finitam notionem induxit, sed solum Eleatarum notiones ad intelligendum reddidit faciliores.

Quaeri possit praeterea, Epicharmus utrum a Xenophane illam sententiam an a Parmenide sumpserit. Quod ens idem fecit quod τὰ πάντα, videatur fortasse magis cum Parmenide quam cum Xenophane convenire: contra quod de deis praecipit, maiorem praebet Xenophaneae sententiae similitudinem. Neque poetam in comoedia, ubi potius philosophorum placita ad vulgarem cogitandi rationem transferret, subtilia utriusque disciplinae discrimina curasse est credibile ac servasse. Immo nihil ille nisi summam Eleaticae doctrinae ita proponere voluit, ea ut partim facilius intelligeretur, partim exaggerata ad ironiam et lenem risum verteretur. Quanquam si alteruter eligendus sit, malim ad Xenophanem hanc Epicharmi ratiocinationem referre: cum quo quidem non apud scriptores solum saepius coniungitur, sed a quo etiam plura sumpsisse reperietur.

Iam vero quid statuatur de altera fragmenti parte, quam hucusque omisimus, erit spectandum. In ea enim quod homines in dies mutari dicuntur, id cum prioris partis sen-

tentia maximopere videtur pugnare. At putet quis, in ea fluxam et caducam hominum naturam deis utpote aeternis et constantibus opponi, sententia vulgaribus poetis usitata. Verumtamen etsi in poeta, non tamen in eo poeta versamur, qui mythologiam vulgo creditam tractat, sed in eo, qui ad philosophicas rationes accedit: et in hac certe argumentatione philosophicae proponuntur sententiae. Ita ut rebus divinis potius, qualescunque eae intelliguntur, opponi humanas sit consentaneum. Idque fieri ab Epicharmo censet Karstenius (in Xenophanis reliquiis p. 187,) ita ut e Xenophanis sententia post aeternam entis sive dei naturam earum rerum, quae sub sensus cadunt, inconstantia tractetur. Ex hac igitur opinione opponuntur τὰ φυσικὰ τοῖς ὑπὲρ φύσιν, ut cum Simplicio, sive τὰ αἰσθητὰ τοῖς νοητοῖς, ut cum Alcimo et Grysario loquar. Atque est haec quidem paullo probabilior ratio quam illa Grysarii, qui complexum τῶν αἰσθητῶν et singula αἰσθητὰ discriminantem facit Epicharmum: sed tamen illa quoque suis quibusdam impeditur incommodis. Nam primum quod Karstenius secundo versu τάδε coactus est intelligere τὰ θεῖα, id quod indicavit p. 113, non liquet omnino, quid ex Eleaticis praeceptis interesse possit inter τοὺς θεοὺς et τὰ θεῖα. Sed ut eo quis dicat ab adversario adductum esse disputatorem, tamen ipsa oppositio facta inter res divinas et res, quae sensibus sunt subiectae, dici nequit quantum ab Eleatarum mente abhorreat. Etsi enim disputationem de ente disiunxerunt a rerum naturalium, quatenus sub sensus cadunt et δόξος ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, tractatione, tamen in eo minime agunt de rebus natura sua et quasi materie diversis, verum de diversa ratione cogitandi: nam quaecunque de ente dicunt, ea κατὰ λόγον, quae de rerum natura, ea κατὰ δόξαν disputant. Talis autem rerum oppositio ipsam tolleret entis naturam*),

*) Et ita tollitur haec quidem in Melissi doctrina, qui τὸ ἀπείρον ὄν distinguit ab aliis rebus, illudque facit πάντων ὄν. ut praeclare a

ut quod nihil habeat oppositum, quum sit *οὔτε ἄπειρον οὔτε πεπερασμένον*. Summa enim iniuria *τῶν αἰσθητῶν* et *νοητῶν* notionem in Eleaticam doctrinam intulerunt Neo-Platonici: nec vero prorsus est reprehendendus, etsi parum accurate locutus, Aristoteles, qui sic scribit de Coelo III, 1: *ἐκεῖνοι δὲ διὰ τὸ μηθὲν μὲν ἄλλο παρὰ τὴν τῶν αἰσθητῶν οὐσίαν ὑπολαμβάνειν εἶναι, τοιαύτας δέ τινας νοῆσαι πρῶτοι φύσεις, εἴπερ ἔστιν τις γνῶσις ἢ φρόνησις, οὕτω μετήνεγκαν ἐπὶ ταῦτα τοὺς ἐκεῖθεν λόγους*: neque enim res intelligibiles a sensibilibus distinxerunt Eleatae. Accedit autem quod continuae *κίνησις*, quam Karstenius ex Eleatarum mente affirmantem facit Epicharmum, ne cum iis quidem convenit, quae *κατὰ δόξαν* illi praeceperunt. Nam etsi mutationem esse *κατὰ δόξαν* non negarunt, non erat tamen cur eam continuam esse docerent: qualis quidem eo exprimitur, quod homines singulis quibusque diebus alii esse dicuntur. Quanquam autem concedendum est, opinionum diversitatem ex hominum diversitate explicare Eleatas: tamen id eam tantum vim habet, ut omnes homines inter se differre, non ut unusquisque a se ipse differre quotidiana mutatione putentur. Eo certe spectat illud Xenophanis apud Clementem Alexandrinum Strom. V, 601, quod sic restituit Karstenius:

Ἀλλ' εἴτοι χεῖράς γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν,
τοιαῦθ' οἷόν περ καὐτοὶ δέμας εἶχον ἕκαστον,
ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοῖον.

et Parmenidis apud Aristotelem Metaph. III, 5:

ὡς γὰρ ἑκάστῳ ἔχει κρᾶσις μελέων πολυπλάγκτων,
τὼς νόος ἀνθρώποισι παρέστηκεν· τὸ γὰρ αὐτό

Brandisio auctor appellatus sit idealisticae rationis. Verum Melissum nec cognitum habere potuit Epicharmus, nec vero eius sententia insita est in antiquiorum Eleatarum rationibus, ut in eam ultro incidisse credi possit comicus.

ἐστιν ὅπερ φρονέει μελέων φύσις ἀνθρώποισι
καὶ πᾶσιν καὶ παντί· τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα.

Itaque etsi continuam *κίνησιν* non potest demonstrari non esse ab Eleatis *κατὰ δόξαν* pronunciatam, tamen esse pronunciatam nullo traditum est antiquitatis testimonio. Contra non pronunciatam solum, verum perpetuo vexatam fuisse multis testimoniis constat in Heracliti disciplina: eamque etiam ad homines translatam fuisse patet ex eo quod Heraclitus dixisse traditur apud Heracl. Alleg. Hom. 24: *εἶμέν τε καὶ οὐκ εἶμεν.* Quocirca in his:

ἐν μεταλλαγῇ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον,

et quae cum his coniuncta sunt, non Eleatarum sententia putanda est exponi, sed Heracliti. Quum enim e comoedia petitum sit fragmentum, eidem disputatori hanc tribuere disputationem atque alteram nulla nos iubet necessitas. Immo alium philosophum post quintum versum loqui occipere ipse arguit etsi foedissime corruptus versus sextus, qui in codicibus sic legitur:

τῶν δ' ὧν ἀμες νὺν ὧδε λέγων (s. *λέγω*) *μέλλει τάδ' εἶναι.*

De eo melius fortasse iudicare possemus si Cobetianae collationes codicum Diogenianorum iam innotuissent: sed ut nunc res est, nihil in hoc versu certum est praeter unum vocabulum *ἀμές*: nihil enim refert, quod etiam *ἄμμες* scriptum reperitur. Sed illud propter dialecti rationem adeo est exquisitum adeoque proprie Epicharmeum, ut id non sit credibile e corruptela irrepsisse. Quod quum in philosopha disputatione probabiliter ad philosophorum sectam referatur, non liquet profecto, cur in media ratiocinatione suam sectam appellaverit disputator. Contra optime quadrat, immo flagitatur haec appellatio, si novum disputatorem ab hoc versu ordiri statuimus disputationem suam tali fere modo:

τῶνδέ γ' ἀνθ' ἁμὲς λόγων νὺν ὧδε μέλλομες λαλεῖν.

Adversus Eleatica placita suam de rebus mundanis sententiam defendit Heracliti discipulus, et ita quidem, ut ad

ipsa Eleatae verba respicere videatur. Nam quod primum quaerit: *ἦ δοκεῖ κά τοι τόκ' αὐτὸς εἶμεν;* spectat ad Eleatae dictum, *διὰ τῶν αὐτῶν ἀεὶ* esse omnia. Idem quod antea vulgarem de Chao opinionem Eleatico obiecit (nam idem histrio versum tertium proferre est putandus), non sequitur in hoc quidem Heracliti doctrinam, sed ita utitur ea opinione, ut ad impugnandum alterius placitum erat idonea. Uterque enim, quantum ex his versiculis colligere licet, ita persequitur ratiocinationem, ut primum propius ad vulgarem accedant mythologiam, deinde ex philosophicarum disciplinarum fontibus derivent disputationem suam. Ita Eleaticus quod primum deos aeternos esse dicit, in eo similiter atque Xenophanes descendit ad vulgares hominum opiniones, deinde convenientius philosophiae rerum aeternitatem affirmat: Heracliteus autem primum Chaos ab initio fuisse, qua quidem fabula passim uti poterant physiologi, quum ea non modo cum Empedoclis sphaera, sed etiam cum Heracliti *περιόδοις* coniungi queat*), deinde continuo omnia immutari contendit. Quocirca ne illud quidem prorsus recte dicetur, ex adverso poni ab Epicharmo Eleaticam doctrinam et Heracliteam, verum potius summas earum, quae tunc temporis in philosophia valebant, sententiarum. Id enim si fecit, melius profecto potuit spectatorum animos tenere, qui, etsi alias non inerudíti homines, vix putandi sunt in subtiles philosophicarum disciplinarum recessus se insinuare potuisse, sed summis tantum et, ut ita dicam, extremis quaestionibus delectati fuisse putandi sunt. Eandem causam habere videtur, quod numerorum significatione quodammodo ad rationem Pythagoreorum utitur:

αἰ ποτ' ἀριθμόν τις περισσόν, αἰ δὲ λᾷς, τὸν ἄρτιον
ποιθέμεν λᾷ ψᾶφον ἦ καὶ τὰν ὑπάρχουσαν λαβεῖν,
ἦ δοκεῖ κά τοι τόκ' αὐτὸς εἶμεν;

*) Immo hic ipse Epicharmi locus facit ad defendendas Heracliti *περιόδους* contra Schleiermacheri sententiam.

Verumtamen a propria Pythagoreorum sententia quam maxime abhorret haec disputandi ratio, quum ex ea numeri singularum rerum minime immutentur, sed firmi maneant velut ideae Platonicae, earumque similitudine ipsae res teneantur. Nescio autem an hanc quoque numerorum significationem adversarii causa assumpserit Heracliteus. Etenim quum Pythagorei similiter atque Eleatae *αἰωνίαν διαμονὴν τῶν κοσμικῶν* docerent, quae quidem per numeros fiebat, utrisque opponi Ionum physiologiam non est incredibile. Non quo prioris disputatoris versus ad Pythagoreorum aeque atque ad Eleatarum doctrinam referri possint: verum Heracliteus, quum non certam doctrinam, sed sententiarum summam impugnet, non mirum si etiam Pythagoreorum rationibus adversatur. In quibus quum numerorum constantia magni sit momenti, ea occasione utitur ad irridendam Pythagoreorum doctrinam. Itaque dialecticam artem haud exiguam ostendit Ionicus physiologus, quod sententias suas non exponit simpliciter, sed rationem habet adversariorum: id enim et in hac numerorum significatione cernitur et in eo, quod ad alterius *διὰ τῶν αὐτῶν* respicit. Quam dicendi formam si quis propter Philolai fragmentum, de quo supra est monitum, Pythagoreis maxime tribuat atque in ea quoque significationem agnoscat Pythagoreae philosophiae, me nec assentientem habeat nec repugnantem. Ad eundem modum ego sextum versum emendavi, ita ut Italici philosophi confidentia, qui suas tantum rationes *λόγους*, cetera omnia *λάλον* putaret, leniter irrideretur. Talis enim omnino in his duobus cernitur morum diversitas. Italicus non sine quodam pondere profert sententias suas tanquam eas, quae convelli nullo pacto possint, iracundus excandescit ad id, quod alter ex vulgari mythologia petitum obiicit: hoc enim fit, ut tam concise respondeat:

πῶς δ'; ἀμάχανόν γ' ἀπὸ τίνος μηδὲν ὅ, τι πρᾶτον μόλοι.

Cuius responsi fervida brevitas offensioni fuit Casaubono et

Hermanno, quum tamen cum loquentis indole egregie conveniret. Contra Heracliteus comis est, se insinuat in alterius sensa, neque ut indubias profert opiniones, sed quaerendo adversarium. Itaque quum de deis loquentem audiat alterum, eius se accommodat disputationi: tunc ita ipse argumentatur, ut non solum ad eius verba et sententias respiciat, sed etiam quaerat ex illo, rectene argumentetur. Accedit quod multo explicatius quam alter sua placita persequitur *).

Quae quum ita sint, non modo ad philosophicas rationes accommodate, sed etiam dramatis legibus convenienter Epicharmus illam inter Heracliteum et Italicum philosophum instituit contentionem. Nec prorsus est praetervidendum, ea ratione, qua repraesentatur uterque, Heracliteum, quippe qui modestior sit magisque dialectice alterum refellat, magis commendari quam Italicum. Unde non sine veri similitudine possis colligere, Epicharmum illius sententiae, etsi eam quoque non sine leni irrisione profert, tamen ma-

*) Totum enim fragmentum nunc ita erit constituendum:

A. Ἀλλ' ἀεὶ τοὶ θεοὶ παρῆσαν, χὐπέλιπον οὐπώποκα,
τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὁμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.
B. ἀλλὰ λεγέται μὰν χάος πρᾶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.
A. πῶς δ'; ἀμάχατόν γ' ἀπὸ τίνος· μηδὲν ὅ,τι πρᾶτον μόλοι.
οὐκ ἄρ' ἔμολε πρᾶτον οὐδὲν οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον.
B. τῶνδέ γ' ἀνθ' ἁμὲς λόγων νὺν ὧδε μέλλομες λαλεῖν.
αἰ ποτ' ἀριθμόν τις περισσόν, αἰ δὲ λᾷς, τὸν ἄρτιον,
ποτθέμεν λᾷ ψᾶφον ἢ καὶ τὰν ὑπάρχουσαν λαβεῖν,
ἢ δοκεῖ κά τοι τόκ' αὐτὸς εἰμεν; *A.* οὐκ ἐμὶν τάχα.
B. οὐδὲ μὰν οὐδ' αἰ ποτὶ μέτρον παχυαῖον ποτθέμεν
λᾷ τις ἄτερον μᾶκος ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν,
ἔτι χ' ὑπάρχοι κεῖνο τὸ μέτρον; *A.* οὐ γάρ. *B.* ὧδε νῦν ὕρη
καὶ τὸς ἀνθρώπους. ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δέ γα μὰν φθίνει,
ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.
ὁ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν κωὐποκ' ἐν τωὐτῷ μένει,
ἄτερον εἴη κα τοδὴ τοῦ τοι παρεξεστακότος.
καὶ τὺ δὴ κἠγὼ χθὲς ἄλλοι καὶ νὺν ἄλλοι τελέθομες,
καὐθις ἄλλοι κωὐποκ' αὐτοὶ [τελέθομες] καττὸν λόγον.

gis favere quam alteri. Atque eo spectat fortasse quod Plato Epicharmum inter eos appellat, qui continuam *κίνησιν* docuerint, Theaet. 152 e: *καὶ περὶ τούτου (ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδὲν, ἀεὶ δὲ γίγνεται) πάντες ἐξῆς οἱ σοφοὶ, πλὴν Παρμενίδου, ξυμφέρεσθον, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας· κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος κτλ.* Similiter explicandus videtur locus Aristotelis Metaph. III, 5: ubi Aristoteles, postquam eos recensuit, qui sensus fluctuantes esse pro diversis hominum naturis docerent, ad eos transit, qui propter continuam rerum omnium mutationem nihil cognosci posse contenderent. Appellatis autem prioribus illis, Democrito, Empedocle, Parmenide, Anaxagora sic pergit: *αἴτιον δὲ τῆς δόξης τούτοις, ὅτι περὶ τῶν ὄντων μὲν τὴν ἀλήθειαν ἐσκόπουν, τὰ δ' ὄντα ὑπέλαβον εἶναι τὰ αἰσθητὰ μόνον· ἐν δὲ τούτοις πολλὴ ἡ τοῦ ἀορίστου φύσις ἐνυπάρχει, καὶ ἡ τοῦ ὄντος ὥσπερ εἴπομεν· δι' ὃ εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν. οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνη. ἔτι δὲ πᾶσαν ὁρῶντες ταύτην κινουμένην τὴν φύσιν, κατὰ δὲ τοῦ μεταβάλλοντος οὐδὲν ἀληθευόμενον, περί γε τὸ πάντως πάντη μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν κτλ.* Ubi quod Bekkerus scripsit: *Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνη*, Alexandri Aphrodisii auctoritate nititur: Karstenius autem unius codicis lectione, *Ἐπίχαρμος ἢ Ξενοφάνης*, servata sic reliqua continuavit: *ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος ἢ Ξενοφάνης εἶπον, πᾶσαν ὁρῶντες ταύτην κινουμένην τὴν φύσιν — περί γε τὸ πάντως πάντη μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν.* At ubinam hoc docuit Xenophanes, *περί γε τὸ πάντως πάντη μεταβάλλον οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν*? Immo illam *μεταβολὴν* ab eius mente alienam esse supra mihi videor demonstrasse. Nec voculas *ἔτι δὲ*, tam proprias illas Aristotelis dictioni, sine temeritate delere potuit Karstenius. Praeterea etsi non iam ipsum Epicharmi locum legit

Alexander Aphrodisius, qui haec annotat ad Aristotelis verba: ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνην, ὡς Ἐπιχάρμου τοῦ τῆς κωμῳδίας ποιητοῦ εἰς Ξενοφάνην βλασφημότερά τινα καὶ ἐπηρεαστικὰ εἰρηκότος, δι' ὧν εἰς ἀμαθίαν τινὰ καὶ ἀγνωσίαν τῶν ὄντων σκώπτων δίεβαλεν αὐτόν: tamen non solum maxima habenda est eius ad lectionem constituendam auctoritas, sed scivit etiam sine dubio, Epicharmum eiusmodi aliquid contra Xenophanem dicere in comoediis potuisse. Quocirca retinenda omnino est antiqua scriptura a Bekkero restituta: eaque nescio an ad ipsos, quos tractamus, Epicharmi versus probabiliter possit referri. Epicharmus enim haec: ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον, et quae cum his cohaerent, contra Xenophanem dicit manifesto. Xenophanes autem cum iis sensit, qui φρόνησιν hominum ex ipsorum natura pendere existimarunt. Ita ut Aristotelis sententia haec esse videatur: Veri similiter illi dixerunt, qui φρόνησιν cum natura hominum coniungunt, nec tamen vere dixerunt, nam aptior sane haec est ratio (οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν), quam illa Epicharmi, qui contra Eleatas continuam docuit κίνησιν. Quae si probetur explicatio, haec pars enunciati parenthesi erit includenda: δι' ὃ εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν (οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνην) ἔτι δὲ πᾶσαν ὁρῶντες κινουμένην ταύτην τὴν φύσιν — οὐκ ἐνδέχεσθαι ἀληθεύειν. Ea autem, quam in Epicharmo reprehendit, opinio mox explicatius refellitur ut ἢ τῶν φασκόντων ἡρακλειτίζειν. Quod autem illa ἔτι δὲ πᾶσαν et quae sequuntur de iisdem philosophis videtur praedicare atque ea quae praecedunt, nullam aliam causam habet, quam quod omnino Aristoteles non accurate distinguit singulas sententias, sed in universum agit de antiquioribus, qui τὸ τί ἦν εἶναι non attigerint. Immo consulto eorum sententias ita miscet, ut singularum discrimina evanescant, communis autem error, quo veritatem cogno-

sci non posse arbitrabantur, lucidius appareat. Propterea iis, quae iam attuli, verbis statim haec subiungit: *ἐκ γὰρ ταύτης τῆς ὑπολήψεως ἐξήνθησεν ἡ ἀκροατὴ δόξα τῶν εἰρημένων, ἡ τῶν φασκόντων ἡρακλειτίζειν*, quum revera inter horum sententias atque eas, quae ante fuerant enumeratae, dici nequeat quantum intersit.

Ita etsi non incommode Aristotelis locus explicatur, tamen ne tunc quidem repugnem, si quis ad hunc modum transponere verba velit: *ἐν δὲ τούτοις πολλὴ ἡ τοῦ ἀορίστου φύσις ἐνυπάρχει, καὶ ἡ τοῦ ὄντος οὕτως ὥσπερ εἴπομεν· οὕτω γὰρ ἀρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνην· δι' ὃ εἰκότως μὲν λέγουσιν, οὐκ ἀληθῆ δὲ λέγουσιν· ἔτι δὲ πᾶσαν ὁρῶντες ταύτην κινουμένην τὴν φύσιν κ. τ. λ.* Ipsius enim Aristotelis sententiam, qua in rebus sensibilibus *πολλὴ ἡ τοῦ ἀορίστου φύσις ἐνυπάρχει*, intelligitur apte comparari posse cum Epicharmi versibus, quibus continua docetur *μεταλλαγή*: atque ita etiam reliqua illa, quae sententiam de continua *μεταλλαγῇ* illustrant, percommode annectentur. Nolo tamen haec vel certius definire vel affirmare confidentius, sed tantummodo coniec'andi causa proponere: quoniam nulla demonstrari potest necessitas Aristotelis locum ad eos, quos nos tractamus, Epicharmi versus referendi. Quod enim in hoc uno fragmento factum vidimus, ut Eleatarum placita in contentionem Epicharmus vocaret, id multo saepius ab eo repetitum fuisse licet colligere, ita ut alios quoque locos in mente habere Aristoteles potuerit. Verum haec propter Epicharmearum paucitatem reliquiarum omittere praestabit.

Sed ut Heracliti sententiam aliqua ex parte suam fecit Epicharmus, ita tamen magis ad illud est attendendum, quod duas opiniones sibi opponit atque inter se facit certantes. In hoc quidem initium quoddam deprehendimus dialecticae artis, quae deinde a sophistis excolebatur. In universum enim dialecticis argutiis et crebris maxime antithetis delectatus est Epicharmus, de qua re dixit Grysarius p. 214 sqq:

eaque non solum cum indole Siculorum, acutae gentis et controversa natura (verba sunt Ciceronis in Bruto c. 12.) congruit, sed etiam viam quodammodo praeivit sophisticae arti, quae postea in Sicilia imprimis floruit. In quo haud paullum illis philosophorum disceptationibus, quas Epicharmus induxit, tribuendum esse facile intelligitur. Ceterum talem de rebus philosophicis disceptandi consuetudinem iam inter Epicharmi aequales exstitisse vel ultimi fragmenti versus docet:

δυσπάλαιστος ὢν τὸς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ.

Quod autem Italicos universim, qui stabilem posuerunt rerum naturam, cum Heracliteis facit certantes, id ipsum patet latius. Nimirum ut inter Heraclitum atque omnem Italicorum sectam multum intercessit differentiae, ita illud etiam contentionem peperisse constat, quod multarum rerum scientiam Italici appetendam duxerunt, Heraclitus reprehendit. Notum est illud Heracliti apud Diogenem Laertium IX, 1: *πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει· Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόρην, αὖτίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον.* Unde non discendo comparari sapientiam, sed e nativa hominum indole pendere Heraclitum intelligitur statuisse (id quod etiam in illis: *αὕη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, οὗ γῆ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη* cernitur), quum Pythagorei totam vitam ad discendam sapientiam instituerent. Eaque contentio non solum ad philosophorum disciplinas pertinuisse, sed amplius etiam tunc temporis vagata fuisse videtur, id quod concludere inde licet, quod Pindarus canit Ol. II, 86, 87:

σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς, ἀκράντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον,

et IX, 100—107:

τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν· πολλοὶ δὲ διδακταῖς
ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος
ὤρουσαν ἑλέσθαι·
ἄνευθε θεοῦ σεσιγαμένον

οὐ σκαιότερον χρῆμ' ἕκαστον· ἐντὶ γὰρ ἄλλαι
ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι,
μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει
μελέτα.

Neque alienum est Simonidis sententiam apud Platonem Protag. 339 a prolatam comparare: *ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν.* Eandem quaestionem haud scio an Epicharmus quoque attigerit talique ex disputatione hausta sint haec fragmenta:

ap. Xenoph. Memorab. II, 1, 20: *τῶν πόνων πωλοῦντι πάντα*
τἀγάθ' ἁμὶν τοὶ θεοί.

ap. Stob. Floril. I, 14: *ἃ δὲ μελέτα φύσιος ἀγαθᾶς πλέονα*
δωρεῖται, φίλος,

quod extremum ob metricas rationes omnino vindicandum Epicharmo apparet. Cf. Welckerus in Epicharmo (script. min. I, p. 307, annot.)

Sed ut ad illud, a quo digressi sumus, fragmentum apud Diogenem revertamur, quaerendum restat, quo pacto illud Alcimus intellexerit, inferens significationem *τῶν αἰσθητῶν* et *νοητῶν*. Scilicet Eleaticum ens, de quo in priore fragmenti parte agitur, non solum a Neo-Platonicis ad *νοητὰ* referri solebat, sed ipse etiam Plato, quae de illo dicta erant, ad ideas transtulit, id quod apertissime cernitur in dialogo Parmenide p. 132 B: *εἶτα οὐκ εἶδος ἔσται τοῦτο τὸ νοούμενον ἓν εἶναι, ἀεὶ ὂν τὸ αὐτὸ ἐπὶ πᾶσιν;* Contra rerum singularum, quae sub sensus cadunt, naturam secundum Heracliteos descripsisse Platonem ut per se facile intelligitur, ita etiam Aristoteles declarat Metaph. I, 6. Quocirca haec esse Alcimi sententia videtur, differentiam, quam Epicharmus inter Eleatarum placita et Heracliti proponat, ita solvi posse, ut altera ad res intelligibiles, altera ad res sensibiles referantur. Eoque modo quum soluta sit a Platone, qui inter *αἰσθητὰ* et *νοητὰ* primus discriminavit, Epicharmum in ea re viam praeivisse Platoni. Cui sententiae etsi recte obiicietur, de eiusmodi solutione ipsum

Epicharmum nondum facile cogitasse, tamen eam is quoque proferre poterat, qui non flagraret Platonem in antiquioribus omnibus indagandi libidine tali, qualem constat fuisse Neo-Platonicorum. Sed tamen quod Alcimum dedita opera Epicharmi et Platonis similitudinem evincere studuisse Diogenes tradit (*καὶ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα διὰ τῶν τεσσάρων βιβλίων παραπήγνυσιν ὁ Ἄλκιμος, παρασημαίνων τὴν ἐξ Ἐπιχάρμου Πλάτωνι περιγινομένην ὠφέλειαν*), recentioris aevi Platonicum eum fuisse comprobat, praesertim quum etiam in ea, quae praeterea Diogenes exhibet, iambici numeri fragmenta idearum notionem intulerit. Quod ut in primo fragmento, quod est de natura boni, cum aliqua specie veri fecerit, in reliquis iniuria eum fecisse sponte intelligitur. Sed primum illud, si non potest nisi statuta boni idea explicari, ab Epicharmo abiudicandum atque e Pseudepicharmeis repetendum erit necessario: quanquam hoc quoque poetae vindicari potest. Nimirum id potissimum Platonem sapit, quod v. 6 *ἀγαθόν τι πρᾶγμ᾽ εἶμεν καθ᾽ αὑτό* affirmatur: quo quidem certa et ab aliis ideis discreta boni idea indicatur. Nam quod ad sermonis rationem conferri possit, *οὐθὲν τῶν πραγμάτων οὔτε αὐτῶν ποθ᾽ αὑτὰ οὔτε ἄλλω ποτ᾽ ἄλλο* in Philolai fragmento apud Stobaeum Ecl. phys. I, 2, 3, minime significat certas et inter se diversas rerum ideas, sed solum rationes rerum sive singularum sive plurium, quatenus ad intellectum accedant. Ut nullo pacto inde probari queat, Pythagoreos bonum dicere potuisse *πρᾶγμα καθ᾽ αὑτό*: immo non fuisse bonum ex eorum sententia *πρᾶγμα καθ᾽ αὑτὸ* illa decem principiorum tabula docet, qua bonum et malum e fine et infinito derivarunt. In ceteris autem versibus solummodo discendo comparari bonum, non cum ipsis hominibus coniunctum esse explicatur: quod etsi concinit cum Platonis sententia, *ἀρετὴν διδακτὸν εἶναι* (v. Menon. p. 98 sqq.) tamen nihil obstat, quominus id ante Platonem dictum fuisse credatur. Quid? quod Py-

thagoreorum instituta huic ipsi sententiae superstructa fuisse videntur, praesertim quum virtutem sapientiae subiungerent atque e numerorum cognitione pendentem facerent (v. Philol. ap. Stob. Ecl. ph. I, 23, 1, p. 490: *καὶ περὶ μὲν τὰ τεταγμένα τῶν μετεώρων γίγνεσθαι τὴν σοφίαν, περὶ δὲ τὰ γενόμενα τῆς ἀταξίας τὴν ἀρετήν, τελείαν μὲν ἐκείνην, ἀτελῆ δὲ ταύτην.*) Quapropter ita servari poterit Epicharmi fragmentum, ut illa verba, quae nobis suspicionem moverunt, eiiciantur, hoc modo:

Α. Ἆρ' ἐστιν ἄυλησίς τι πρᾶγμα; Β. πάνυ μὲν ὤν.
Α. ἄνθρωπος ὢν αὐλησίς ἐστιν; οὐδαμῶς.
Α. φέρ' ἴδω, τί δ' αὐλητάς; τίς εἰμέν τοι δοκεῖ;
ἄνθρωπος, ἦ οὐ γάρ; Β. πάνυ μὲν ὤν. Α. οὐκ ὢν δοκεῖ
οὕτως ἔχειν τοι καὶ περὶ τὠγαθοῦ; τὸ γὰρ
ἀγαθὸν μαθών τις ἀγαθὸς ἤδη γινέται.
ὥσπερ γὰρ αὖκ' αὐλησιν αὐλητὰς μαθὼν
ἢ ὄρχησιν ὀρχησιάς τις ἢ πλοκεὺς πλοκὰν
ἢ πᾶν γ' ὁμοίως τῶν τοιούτων, ὅ,τι τὺ λῇς,
οὐκ αὐτὸς εἴη χ' ἃ τέχνα, τεχνικός γα μάν.

Verba autem a nobis eiecta iam antiquitus interpolata fuisse videntur, ita ut ea iam Alcimus scripta invenerit: leguntur certe apud Hesychium Milesium, qui hoc fragmentum excerpsit. Verum opificia et artes musicas pariter ac sapientiam et virtutem ad numerorum cognitionem Pythagoreos retulisse testatur iam citatum Philolai fragmentum apud Stobaeum Ecl. Phys. I, 2, 3, p. 10: *ἴδοις δὲ καὶ οὐ μόνον ἐν τοῖς δαιμονίοις καὶ θείοις πράγμασι τὰν τῶ ἀριθμῶ φύσιν καὶ τὰν δύναμιν ἰσχύουσαν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἀνθρωπικοῖς ἔργοις καὶ λόγοις πᾶσι πανταᾶ, καὶ καιὰ τὰς δαμιουργίας τὰς τεχνικὰς πάσας καὶ καιὰ τὰν μουσικάν.* Unde comparationem illam, quam Epicharmus inter has artes et virtutem instituit, cum Pythagoreorum sententiis congruere patet. Ceterum quum Epicharmo probabiliter fragmentum tribuatur, hoc quoque pertinet ad eam, quam ab Epicharmo

saepius significari monui, contentionem, utrum nativa hominum indoles plus valeat an doctrina. Quodsi supra magis de sapientia agi videbatur, recordandum est, secundum Pythagoreorum rationes virtutem e sapientia pendere, omninoque ante Platonem eas notiones non fuisse divisas. Qui autem huc pertinent Epicharmei versus:

τῶν πόνων πωλοῦντι πάντα τἀγάθ' ἁμὶν τοὶ θεοί,
ἁ δὲ μελέτα φύσιος ἀγαθᾶς πλέονα δωρεῖται, φίλος;

ad bonum pariter atque ad sapiens referri possunt. Iam etsi hic ea tantum pars disputationis nobis relicta est, quae Pythagoreorum exponit sententiam, tamen inde minime sequitur, eam ipsum adoptasse Epicharmum. Immo hic quoque philosophantem induxit, cui respondebat fortasse alius, contrariam sententiam defendens.

Idem statuendum erit de reliquis duobus iambici numeri fragmentis, quorum primum in omnibus, quae vivunt, animam esse declarat:

Εὔμαιε, τὸ σοφόν ἐστιν οὐ καθ' ἓν μόνον,
ἀλλ' ὅσσα περ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει.
καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος,
αἰ λῇς καταμαθεῖν ἀτενὲς, οὐ τίκτει τέκνα
ζῶντ', ἀλλ' ἐπώζει καὶ ποιεῖ ψυχὰν ἔχειν.
τὸ δὲ σοφὸν ἁ φύσις τόδ' οἶδεν ὡς ἔχει
μόνα· πεπαιδεύται γὰρ αὐταυτᾶς ὕπο.

Primo obtutu haec sententia quadrat cum eo, quod Empedocles statuit secundum Sextum Empiricum adv. Math. VIII, 286: *Ἐμπεδοκλῆς πάντα ἠξίου λογικὰ τυγχάνειν, καὶ οὐ ζῶα μόνον, ἀλλὰ καὶ φυτά·*

πάντα γὰρ ἴσθι φρόνησιν ἔχειν καὶ νώματος αἶσαν.

Ad quem locum doctissime annotat Karstenius (Empedoclis rel. p. 257.) »Animadvertendum, in hoc placito mentem a sensu non distingui.« Soli enim Pythagorei inter antiquiores ita diviserunt animi vires, ut mentem a sensu distinguerent. Contra Parmenides, a quo hoc quoque Empedocles

putandus est sumpsisse. intelligendi vim cum sensu hominum artissime coniunxit, ut ex his patet versibus apud Aristotelem Metaph. III, 5:

ὡς γὰρ ἑκάστῳ ἔχει κρᾶσις μελέων πολυπλάγκτων,
τὼς νόος ἀνθρώποισι παρέστηκεν· τὸ γὰρ αὐτό
ἐστιν ὅπερ φρονέει μελέων φύσις ἀνθρώποισι
καὶ πᾶσιν καὶ παντί· τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα.

Eamque Eleatarum sententiam Epicharmus videtur Pythagoreorum partitioni opposuisse: etsi dubitare licet, num haec partitio ab Eumaeo subuleo fuerit defensa, cum quo in *Ὀδυσσεῖ ναυαγῷ* haec locutum esse Ulyssem probabiliter coniecit O. Müllerus. Illud autem maxime in Pythagoreis Ulysses reprehendit, quod animam et vitam ex universa mente delibari eoque in mortalia corpora tanquam in carcerem extrinsecus inferri censuerunt, quum ex ipsius sententia naturae vis genitalis animam procreet (*τοιεῖ ψυχαν γενν.*). Utriusque sententiae discrimen planissime designat Stobaeus in Ecl. Phys. I, 51, 7, p. 790: *Πυθαγόρας, Ἀναξαγόρας, Πλάτων, Ξενοκράτης, Κλεάνθης, θύραθεν εἰσκρίνεσθαι τὸν νοῦν. Ἡραιείδης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Δημόκριτος ταὐτὸν νοῦς καὶ ψυχή, καθ' οὓς οὐδὲν ἂν εἴη ζῷον ἄλογον κυρίως.* In qua controversia hoc exemplum ab avium ovis petitum alicuius momenti fuisse est consentaneum, ut quo pro sua utrique sententia varie uti possent: quum id alteri pro testimonio haberent, vim vitalem etiam in iis rebus, quae vita carere videbantur, latere ac paullatim procrescere, alteri inde animam extrinsecus tantum accedere posse demonstrarent. Et haec quidem Pythagoreorum opinio exposita est versibus Epicharmi Enniani:

Ova parire solet genu' pennis condecoratum,
Non animas . . . . . .
Inde venit divinitu' pullis insinuans se
Ipsa anima . . . . . .

Ut nihil agant, qui Ennianum locum ex illis Epicharmi

versibus translatum esse putant: qui, si est ex Epicharmi poesi sumptus, e tali certe loco fluxit, quo Pythagoreorum sententiam exposuit comicus. Verum fortasse propterea tantum Epicharmi nomen suo operi Ennius dedit, quia Siculus recentiore tempore tanquam insignis Pythagoreus inclaruit, non quo omne argumentum ex Epicharmeis fontibus, sive comoediis sive excerptis, derivarit. Sed eam rem propter Epicharmeorum pariter atque Ennianorum, quae hodie supersunt, paucitatem in suspenso relinquere satius erit. Verum ut hic Eleaticam sententiam exponit Epicharmus, ita Pythagoream significat celebratissimo versu:

νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά,

de quo egregie disputat Welckerus p. 353 annot.: »Vermuthlich war der bekannte Vers: *νόος — τυφλά*, statt mit einem Xenophanischen übereinzustimmen, vielmehr *εἰς Ξενοφάνην* gesagt und gegen dessen Ausspruch bei Sextus adv. Math. 9, 144: *οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.* Besonders tritt diese Beziehung hervor, wenn man bedenkt, dass es Grundsatz des Xenophanes war *unum esse omnia, neque id esse mutabile et id esse deum* (Cic. Quaest. Acad. 4, 37), wonach also unter *οὖλος ὁρᾷ* nichts andres als das All, Gott zu verstehn ist; *totus est sensus, totus visus* cet., wie Plinius 7, 2 sagt. Daher hat Sextus, indem er sagt: *εἰ γὰρ ἔστι τὸ θεῖον, ζῷόν ἐστιν· εἰ ζῷόν ἐστιν, ὁρᾷ ὅλος*, sein *ὅλος* mit Anspielung auf den Vers gesetzt, obgleich er es nicht als persönlich, sondern als *τὸ θεῖον* fasst. Deutlich zeigt der Zusatz *τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά* die polemische Beziehung oder die allgemeine philosophische Bedeutung des Satzes.« Itaque saepius illam controversiam attigisse Epicharmus videtur, quocum concinit, quod humanum animum post mortem in universam mentem redire e Pythagoreorum sententia significat fragmento, quod est apud Plutarchum Consol. ad Apoll. p. 110:

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη, κἀπῆνθεν, ὅθεν ἦνθεν πάλιν,
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμ' ἄνω· τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν.

Nolo enim propter suspectam Clementis auctoritatem afferre, quod apud eum est Strom. IV, 640. Eius autem, quam Pythagorei inter diversas animi vires instituerunt, distinctionis exemplum exstat in versu Epicharmeo apud Stobaeum Floril. II, 9:

ἐπιπολάζειν οὔτι χρὴ τὸν θυμὸν, ἀλλὰ τὸν νόον:

quod non ita intelligi velim, quasi sine Pythagoreorum doctrina hoc dicere non potuerit comicus.

Alterum fragmentum hoc est:

Θαυμαστὸν οὐδὲν ἁμὲ ταῦθ' οὑτῶ λέγειν,
καὶ ἁνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς καὶ δοκεῖν
καλῶς πεφύκειν· καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
κάλλιστον εἶμεν φαινέται καὶ βοῦς βοΐ,
ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστόν [ἐστιν,] ὗς δ' ὑΐ,

in quo ideas, per quas animantium genera conserventur, significari putavit Alcimus. Rem planissimam declaravit Karstenius in Xenophanis reliquiis p. 42: suam enim cuique naturam pulcerrimam videri docet Epicharmus ad mentem Xenophanis, qui hoc exemplo quum vulgares de deis opiniones tum universam humanarum opinionum inconstantiam reprehenderat, apud Clementem Alexandrinum Strom. V, 601:

Ἀλλ' εἴτοι χεῖράς γ' εἶχον βόες ἠὲ λέοντες,
ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον καὶ σώματ' ἐποίουν,
τοιαῦθ' οἷόν περ καὐτοὶ δέμας εἶχον ἕκαστον,
ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοῖον.

Huic autem Xenophanis sententiae tunc temporis nulla videtur contraria exstitisse: ita ut hic fortasse solam hominum opinionem, non certam doctrinam impugnarit Epicharmeus disputator.

Sed etsi in hoc exemplo nihil invenimus controversae

sententiae, tamen in plerisque, quae aetatem tulerunt, philosophici generis fragmentis Epicharmum videmus eas, quae tunc temporis maxime agitabantur, quaestiones attigisse. Eas autem credibile est non solum in philosophorum scholis, sed vulgo etiam in hominum sermonibus tractatas fuisse, maxime in illo, qui Syracusis sub Hierone fuit, ingeniorum cultu. Quae res vel eo cernitur, quod Aeschyli Prometheus, quae fabula Syracusis sub Hierone est acta, nescio quid magis philosophicum spirat quam ceterae Aeschyli tragoediae: quo quidem et argumentum ad mundi generationes spectans pertinet et dicta quaedam, quibus Pythagoreorum placita respiciuntur, velut:

v. 116: *θεόσυτος ἢ βρότειος ἢ κεκραμένη,*
v. 459: *καὶ μὴν ἀριθμὸν, ἔξοχον σοφισμάτων,*
ἔξεῦρον αὐτοῖς.

(V. Stanleium ad hos locos.) Quodsi quaeratur, utrum ipsa philosophorum scripta legerint an per sermones potius de iis acceperint homines, hoc saepius certe factum crediderim, scilicet nec populo nec aetate ita ad scribendum vel legendum proclivi. Tantum enim fuit iam tunc profecto civitatum commercium tantusque amor philosophiae, ut de variis philosophorum sententiis sive per discipulos sive per alios multa multis locis audirentur. Maxime autem summa discrimina, quae inter singulorum sententias intercedebant, se imbuebant animis et controversias alebant. Quocirca haud scio an recte Meinersius et Welckerus dubitarint, num ipsum Heracliti librum Epicharmus legerit (etsi illum in Dianae templo absconditum iacuisse vixdum hodie quisquam credet): sed summas sententias eum cognitas habuisse vidimus.

Ipsum vero Epicharmum magis in dialectica disceptandi ratione quam in philosophiae cognitione artem posuisse suam colligo ex illo fragmento, quod ultimum est apud

Diogenem, quodque sic intelligendum esse etiam Welckerus videtur existimasse, p. 356:

Ὡς δ' ἐγὼ δοκέω, δοκέων γὰρ σάφα ἴσαμι τοῦθ' ὅτι
τῶν ἐμῶν μνάμια ποκ' ἐσσείται λόγων τουτῶν ἔτι·
καὶ λαβών τις αὐτὰ, περιδύσας τὸ μέτρον, ὃ νῦν ἔχει,
εἶμα δοὺς καὶ πορφύραν λόγοισι ποικίλας καλοῖς
δυσπάλαιστος ὢν τὸς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ.

Primo versu *σάφα ἴσαμι* scripsi ex ingeniosa Ahrensii coniectura, servavi autem *δοκέων*: scilicet in eo, quod se opinantem certo scire poeta profitetur, inest quaedam irrisio Eleaticae sententiae, qua *δόκος ἐπὶ πᾶσι τέτυκται*. Praeterea quum nexa haec *εἶμα δοὺς καὶ πορφύραν ποικίλας* non sine causa offensioni fuerint Ahrensio, malim ego *ποικίλας* in *ποικίλαν* mutare. Ceterum in his versiculis etsi pulcre intellectum est Epicharmum suam ipsius apud posteros gloriam sub alius persona vaticinari, tamen falli mihi videntur, qui illam philosophiae gloriam interpretantur. Neque enim ultimus versus solum, de quo iam monui, ad dialectice disceptandi dexteritatem potius quam ad severitatem philosophandi spectat: sed etiam, quod metro aliquem sua verba exuturum esse significat, vix potest aliter explicari. Nam etsi non dissimulandum est, nos de eo haud prorsus accurate iudicare posse, quia nescimus, ad quod substantivum referatur *αὐτὰ* v. 3, tamen qui Epicharmea metro exuit, vix putandus est philosophicas sententias in prosam orationem transtulisse, quum philosophia tunc temporis fere versibus tractaretur. Nemo autem *περιδύσας τὸ μέτρον ὃ νῦν ἔχει* ita interpretabitur, quasi quis, quae trochaico vel iambico metro dicta erant, translaturus sit in hexametros. Immo ad rationes dialecticas artemque disceptandi haec verba optime quadrant. Ita ut hoc dicat Epicharmus: »si quis meam in disputando artem a me sumere splendideque exornare velit, facili opera ceteros omnes certando superabit.« Quod quidem ut a poeta praedictum est, ita evenit postea:

nam dicendi artem, quae quidem cum dialectica est coniunctissima, post Epicharmum in Sicilia excoluerunt Empedocles eiusque discipulus Gorgias, praeterque eos Corax, Tisias, Polus: omnino autem eiusmodi artificiis valuisse Siculi videntur. Ita inter Epicharmi poesim et sophisticae artis progressus haud parvam intercedere coniunctionem apparet: praesertim quum illa diversarum sententiarum oppositio quandam similitudinem habeat *λόγων ἀντικειμένων*. Postea Epicharmi exemplum secuta est nova Atticorum comoedia, in qua philosophicas disputationes saepe constat immixtas fuisse sermonibus. Recentiore autem tempore propter Pythagorea, quae eius comoediis inserta erant, maxime inclaruit Epicharmus, ita ut fere Pythagorae discipulus haberetur. Id quod minus mirabimur, si recordamur, quam pauca de vera Pythagoreorum doctrina tradita fuerint, ita ut cupide arriperetur, quodcunque ei lucis aliquid posset affundere. Sic factum ut Pythagorea maxime in eius poesi anquirerentur, ob eamque rem ipse totus putaretur Pythagoreus: accedebat autem illa omnia ad Pythagoram referendi libido, quam et Aeschylus passus est et Empedocles. Unde Ennius quoque carmini suo Epicharmi nomen dedit. Quae autem de Pythagorea Epicharmi disciplina veteres commenti sunt, ea post praeclaram Welckeri disputationem non opus est amplius persequi.

EXCVRSVS.

De Philolai fragmento apud Stobaeum I, 16, 7, p. 360.

Supra p. 30 quum de significatione verborum *διὰ τῶν αὐτῶν* ageremus, explicare omisimus, quod apud Stobaeum e Philolao excerptum legitur I, 16, 7: *Ὁ κόσμος εἷς ἐστιν. ἤρξατο δὲ γίγνεσθαι ἄχρι τοῦ μέσου, καὶ ἀπὸ τοῦ μέσου τὰ ἄνω διὰ τῶν αὐτῶν τοῖς κάτω ἐστὶ τὰ ἄνω τοῦ μέσου ὑπεναντίως κείμενα τοῖς κάτω. τοῖς γὰρ κάτω τὰ κατωτάτω μέσα ἐστίν, ὥσπερ τὰ ἀνωτάτω, καὶ τὰ ἄλλα ὡσαύτως. πρὸς γὰρ τὸ μέσον κατὰ ταὐτά ἐστιν ἑκάτερα, ὅσα μὴ μετενήνεκται.* Boeckhius (in Philolao p. 90 sqq.) ita locum intellexit, ut mundi globum inde a perfecto medio ortum Philolaus significaret, superiorem autem partem globi compararet cum inferiore: utriusque enim, quod ad medium attineret, eandem esse rationem, ac vere infimum utrique esse medium. Pendet autem haec explicatio ex ea, qua Boeckhius usus est, verborum *ἄνω* et *κάτω* interpretatione. Quum enim duplici modo hae notiones in globum coelestem possint inferri, uno, quo alterum hemisphaerium superius esse, alterum inferius dicitur, altero, quo centrum globi infimum vocatur, deinde, quo quid longius distat a centro, eo erit superius: Boeckhius coniunctas has duas interpretationes statuit Philolao tribuere. Nimirum ab ea opinione, qua terra in superiore mundi hemisphaerio esse, alterum autem hemisphaerium huic respondere inferius videretur, ordientem voluit Philolaum ad alteram sententiam transire, ita ut

proprie mutandas esse notiones et centrum globi pro altero hemisphaerio infimum dicendum esse significaret. Iam ut de utriusque sententiae auctoritate quaeratur, ea quidem, qua centrum infimum esse intelligitur, confirmatur illo Philolai fragmento, quod legitur apud Stobaeum I, 23, 1 p. 488. Ibi enim et illud, quod maxime distat a centro, τὸ περιέχον mundi, vocatur τὸ ἀνωτάτω, et quo quid deinde propius ad centrum accedit, id dicitur sub iis positum esse, quae propiora sunt τῷ περιέχοντι. Velut appellato sole sic pergit in enumerandis globi corporibus: ὑφ' ᾧ σελήνην, ὑφ' ᾗ τὴν γῆν, ὑφ' ᾗ τὴν ἀντίχθονα, et paullo post: τὰ δὲ ὑπὸ τὴν Ὀλύμπου φορὰν — κόσμον· τὸ δ' ὑπὸ τούτοις ὑποσέληνόν τε καὶ περίγειον μέρος — οὐρανόν. Unde cognoscitur, quum universam de centro ut infimo sententiam, tum illam τοῦ ἀνωτάτω significationem propriam esse Philolai: maxime autem demonstratur, in eo, quod nos tractamus, fragmento neque τὸ ἀνωτάτω neque τὸ κατωτάτω aliter posse quam ex hac sententia intelligi. Quid? quod illud ipsum, quod in eo fragmento hanc superiorum et inferiorum significationem a Philolao ut consuetam et sponte intelligendam ascisci vidimus, potest quandam de Boeckhiana opinione dubitationem movere, praesertim quum etiam oppositio facta inter superlativos ἀνωτάτω et κατωτάτω, qui ex hac sententia, et positivos ἄνω et κάτω, qui ex altera explicentur, aliquid miri habeat. Sed videamus de ea auctoritate, qua alteram sententiam de superiore et inferiore hemisphaerio apud Philolaum firmare voluit Boeckhius.

Aristotelem enim dicit Boeckhius eam verborum ἄνω et κάτω in globo coelesti interpretationem Pythagoreis tribuere, qua nostrum hemisphaerium sit superius, alterum inferius: quod quidem ipse demonstret contra se habere (de Coelo II, 2.) Haec autem videtur Aristotelis verba significare: καὶ οἱ μὲν ἐκεῖ οἰκοῦντες ἐν τῷ ἄνω εἰσὶν ἡμισφαιρίῳ καὶ πρὸς τοῖς δεξιοῖς, ἡμεῖς δ' ἐν τῷ κάτω καὶ

πρὸς τοῖς ἀριστεροῖς, ἐναντίους ἢ ὡς οἱ Πυθαγόρειοι λέγουσιν. ἐκεῖνοι γὰρ ἡμᾶς ἄνω τε ποιοῦσι καὶ ἐν τῷ δεξιῷ μέρει, τοὺς δ' ἐκεῖ κάτω καὶ ἐν τῷ ἀριστερῷ. Verumtamen quid est, quod paullo ante Pythagoreos Aristoteles reprehendit, quia *τὸ δεξιὸν* et *ἀριστερὸν* globo coelesti adhibuerint, illa autem, *τὸ ἄνω* et *κάτω*, non adhibuerint? *διὸ καὶ τῶν Πυθαγορείων ἄν τις θαυμάσειεν ὅτι δύο μόνας ταύτας ἀρχὰς ἔλεγον, τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερὸν, τὰς δὲ τέτταρας παρέλιπον οὐθὲν ἧττον κυρίας οὔσας, οὐθὲν γὰρ ἐλάττω διαφορὰν ἔχει τὰ ἄνω πρὸς τὰ κάτω καὶ τὰ ἔμπροσθεν πρὸς τὰ ὄπισθεν ἢ τὰ δεξιὰ πρὸς τὰ ἀριστερὰ ἐν ἅπασι τοῖς ζῴοις.* Immo huius capitis ratiocinatio eo spectat, ut Pythagoreos, quia dextrum et sinistrum coeli hemisphaerium statuerint, etiam superius et inferius debuisse statuere Aristoteles demonstret: *εὐθὺς γὰρ πρῶτον, εἰ τὸ δεξιὸν ὑπάρχει καὶ τὸ ἀριστερὸν, ἔτι πρότερον τὰς προτέρας ὑπολητέον ὑπάρχειν ἀρχὰς ἐν αὐτῷ.* Quo facto eo transit, ut quaerat, quod hemisphaerium sit superius, quod inferius, quod vero dextrum, quod sinistrum: de quo postquam suam exposuit opinionem, a Pythagoreis, qui contra existimaverint, se dissentire significat. Nam quod se superius, id illos inferius, quod se dextrum, illos sinistrum appellare. Quod quidem nemo non intelligit ita dictum esse, ut *τοῦ ἄνω* et *κάτω* significatio non e verbis Pythagoreorum, ut qui has ipsas notiones non adhibuerint, sed ex eorundem mente sit petita, qualem quidem esse debuisse, si sibi constitissent, paullo ante docuerat Aristoteles. Itaque ex Aristotelis sententia Pythagorei, quum in dextro hemisphaerio nos degentes facerent, eo ipso fecerunt in superiore degentes, a quo quidem ipse dissentit: neque aliud inest his verbis: *ἐκεῖνοι γὰρ ἡμᾶς ἄνω τε ποιοῦσι καὶ ἐν τῷ δεξιῷ μέρει, τοὺς δ' ἐκεῖ κάτω καὶ ἐν τῷ ἀριστερῷ.* Quod quidem ut per se spectatum facile intelligitur, ita magis confirmatur Simplicii ad hunc locum annotatione. Is enim miratur, quid sit

quod ita secum ipse pugnet Aristoteles, εἴπερ, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς συναγωγῆς τῶν Πυθαγορικῶν ἱστορεῖ, τοῦ ὅλου οὐρανοῦ τὰ μὲν ἄνω λέγουσιν εἶναι, τὰ δὲ κάτω, καὶ τὸ μὲν κάτω τοῦ οὐρανοῦ δεξιὸν εἶναι, τὸ δὲ ἄνω ἀριστερὸν, καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ κάτω εἶναι. Et pugnaret sane gravissime, si ipsas τοῦ ἄνω et κάτω notiones Pythagoreis tribuisset. Verum ex Alexandri emendatione, quam Simplicius affert (τὸ μὲν ἄνω τοῦ οὐρανοῦ δεξιὸν εἶναι, τὸ δὲ κάτω ἀριστερὸν, καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ ἄνω εἶναι,) haec: τὸ μὲν κάτω τοῦ οὐρανοῦ — ἐν τῷ κάτω εἶναι ipsius Aristotelis verba esse consequitur, antecedentia autem nihil possunt probare. Haec vero commodum explicatum habent, si τὰ ἄνω et κάτω ex Aristotelis sententia intelliguntur: nam quod Aristoteli κάτω est, i. e. ea pars, in qua nos degimus, Pythagoreis est δεξιὸν, quod illi ἄνω, ἀριστερόν. Deinde quum addiderit Aristoteles, καὶ ἡμᾶς ἐν τῷ κάτω εἶναι, item suam notionem substituit Pythagoricae. Itaque impedita haec manent atque obscura, donec τὸ ἄνω et κάτω Pythagoreis tribuitur, expedita fiunt ac plana, si non e Pythagoreorum sed ex ipsius Aristotelis mente has notiones illatas esse putamus.

Quae quum ita sint, non potuit hoc loco uti Boeckhius, ut illam verborum ἄνω et κάτω significationem, qua ad hemisphaeria referuntur, apud Pythagoreos confirmaret: immo eandem vidimus Aristotelem a Pythagoreis abiudicare. Nec vero praetereundus est alter locus, quo ad definiendum, quid infra et supra sit in globo coelesti, usus est Boeckhius. Plato enim in Timaeo p. 62, ubi de gravi et levi agit, refellit eam sententiam, qua medium globi coelestis infra, τὸ πέριξ supra esse putetur: negat enim omnino has notiones in globum quadrare. Haud iniuria autem quaesiveris, quid sit, quod alteram sententiam, qua τοῦ ἄνω et κάτω significationes ad hemisphaeria referuntur, quamque item Pythagoreis tribuit Boeckhius, refellere

dedignatus sit Plato. Quae quum ita sint, eam sententiam haud est credibile cognitam fuisse Platoni: quumque Aristotelis testimonium sublatum sit superiore disputatione, in promptu est eam non fuisse Pythagoreorum sententiam. Itaque paullo sublimiorem rationem, quam Boeckhius putaverat, secuti videntur Pythagorei: minime vero profecti sunt ab ea, quae sub sensus cadit, superioris et inferioris specie. Immo tantum abest ut hanc sententiam antiquior philosophia amplexa paullatim missam fecerit atque in sublimiorem illam verterit, ut potius ipsa ab Aristotele demum inducta sit, incomperta antiquioribus.

Iam ut ad Philolai locum revertamur, non debet iam huic illa significatio obtrudi: verum ut τὸ ἀνωτάτω in eodem est τὸ περιέχον et τὸ κατωτάτω medium, pariter etiam quod propius ad περιέχον accedit, ἄνω dicitur, quod ad medium, κάτω. Verumtamen duas sibi respondentes partes cogitari perspicitur e fine fragmenti: πρὸς γὰρ τὸ μέσον καὶ ταὐτά ἐστιν ἑκάτερα, ὅσα μὴ μετενήνεκται. Secundum ea autem, quae hucusque exposita sunt, nulla alia videtur divisio in Pythagoreorum globum cadere quam illa dextri et sinistri hemisphaerii, quae iis ab Aristotele ascribitur. Atque de his oppositis globi partibus commode ultimum enunciatum intelligi potest prorsus eodem modo quo id intellexit Boeckhius: quod ad medium attinet, eadem sunt utraque, nisi quod e regione sunt posita. Nam in quod quis praeterea incidere posset, ut per ἑκάτερα intelligi vellet sibi opposita τὰ ἄνω et τὰ κάτω, id propterea non habet similitudinem veri, quia ita haud facile perspiceretur, quid esset ὅσα μὴ μετενήνεκται. Quaeritur autem, num cum illa hemisphaeriorum significatione etiam prior pars fragmenti queat concinnari: iam enim prorsus alio modo quam Boeckhius fecit, interpretanda erunt verba difficillima καὶ ἀπὸ τοῦ μέσου τὰ ἄνω διὰ τῶν αὐτῶν τοῖς κάτω ἐστὶ τὰ ἄνω τοῦ μέσου ἐναντίως κείμενα τοῖς κάτω.

In his autem proficiscendum est ab ea, quam supra invenimus, significatione verborum *διὰ τῶν αὐτῶν*, quae quidem Boeckhius ita est interpretatus, ut iis superius et inferius ex iisdem rebus constare diceretur: stellas enim circumvolvendo modo in superiore modo in inferiore esse hemisphaerio. Verum praeterea quod hic de forma globi magis quam de materia agere videtur Philolaus, minus recte ob illam causam ex iisdem rebus constare utrumque hemisphaerium perhiberetur: nam stellae versantur tantum in hemisphaeriis, non efficiunt ipsa hemisphaeria. Accedit quod recentiorum scriptorum est haec ipsa praepositionis *διὰ* significatio, qua ad materiam refertur. Iam vero *διὰ τῶν αὐτῶν* hic quoque significabit necessario id quod alias: eadem ratione. Itaque quum superiora non videantur commode cum inferioribus per *διὰ τῶν αὐτῶν* comparari posse, quumque de dextro et sinistro hemisphaerio in hoc fragmento agi sit probabile, haud absonum fuerit, ea forma dicendi significari rationem, quae inter utrumque hemisphaerium intercedat. Propterea sic puto corrigendum esse: *καὶ ἀπὸ τοῦ μέσου τὰ ἄνω διὰ τῶν αὐτῶν τοῖς κάτω ἐστὶν ὡς τὰ ἄνω τοῦ μέσου ὑπεναντίως κείμενα τοῖς κάτω*: et inde a medio superiora eandem rationem habent ad infra posita quam superiora e regione medii sita ad infra posita. Dicit superiora inde a centro, i. e. in hac nostra globi parte, quam dextram Pythagorei dixerunt, prorsus eadem ratione cum infra se positis comparari quam superiora ex adverso centri, i. e. in sinistro hemisphaerio sita cum iis quae infra ipsis sunt posita. Quae sequuntur, ea sic scribenda puto: *τοῖς γὰρ κάτω τὰ κατωτάτω μέσα ἐστὶν, ὥςπερ τῷ ἀνωτάτω, καὶ τὰ ἄλλα ὡςαύτως.* *Τὰ ἄλλα* sunt *τὰ κάτω* et *τὸ ἀνωτάτω* sinistri hemisphaerii, quibus eodem modo infimum est centrum, quo *τοῖς κάτω* et *τῷ ἀνωτάτω* dextri hemisphaerii. Iam additur causa ex eo, quod utraque

quoad medium sint paria: *πρὸς γὰρ τὸ μέσον κατὰ ταὐτά ἐστιν ἑκάτερα, ὅσα μὴ μετενήνεκται.*

Haec autem si cui vel parum nexa vel praefractius dicta videbuntur, ei recordandum erit, nos non versari in verbis, qualia ipse Philolaus scripsit, sed qualia recentiore tempore ex eo excerpta sunt.

VITA.

Natus sum Berolini anno MDCCCXXIV. patre Friderico Guilelmo Valentino Schmidt, qui quum custodis munere in bibliotheca regia fungebatur tum in universitate Berolinensi cumprimis elegantiores litteras recentiorum Europae populorum docebat, matre Minna e gente Nauenia. Utroque parente matura me orbavit mors: nam tertium annum agenti erepta est mater, nec patre ultra octavum frui licuit. Defuncto patre delatus sum ad avum, Valentinum Henricum Schmidt, directorem olim gymnasii Coloniensis, quod Berolini est. Verum quum avus quoque me quintum decimum annum agente supremum obiret diem, ego educandus traditus sum Leberechto Hartung, gymnasii Coloniensis professori, quem virum usque ad hunc diem parentis instar venerari soleo, ut qui mihi parentem se praebeat omni ex parte optimum. In litterarum primordia imbutus sum in gymnasio Coloniensi, quod Berolini floret directore August, cuius viri clarissimi pariter ut reliquorum, quos ibi nactus sum et benevolentissimos et eruditissimos praeceptores, de me merita nulla unquam in me obscurabit oblivio. De quibus unum nominare liceat Agathonem Benari, qui mirifice in me auxit et firmavit illud ediscendae philologiae desiderium, quod iamdudum animo meo insederat. Ei ut satisfacerem, vere a MDCCCXLII. superato examine Lipsiam me contuli, auditurus illum tanquam veteranum philologiae, G. Hermannum, cum quo maxime me allexit M. Hauptius eleganti simul et multiplici doctrina. Singulari autem G. Hermanni benevolentia factum est, ut non solum in seminarium philologicum, quod ipsius et R. Klotzii auspiciis floret, reciperer, sed etiam unius anni spatio praeterlapso in societatem Graecam admitterer. Sanscritica mea studia Brockhausius insigni humanitate moderabatur. Beckerum de antiquitatibus Romanis, Marbachium de Ari-

stotelis Poëtica audivi disputantes. Post trium vero semestrium spatium hanc almam Rhenanam adii, cuius civibus academicis a Bleekio, rectore tunc temporis magnifico, sum adscriptus. Hic Welckerum et Ritschelium audiendi et cognoscendi fuit opportunitas: quos quantum diligam et suspiciam, is tantum recte iudicare poterit, cui ipsos nosse contigerit. Neque enim solum in seminarium philologicum me receperunt viri clarissimi, sed cetera etiam tam eximie humaneque me adiuverunt et sustentarunt, ut, etsi philologiam iam ante adamaveram, nunc tandem, illis exemplis propositis, totum me caperet studium eius disciplinae. Praeterea Dahlmanni et Loebellii scholis historicis mirum in modum sum allectus. Sanscritica mea studia Lassenius, historica Urlichsius singulari benignitate moderabantur. De mythologia artis antiquae disputantem audivi Lerschium. Quibus viris omnibus optime de me meritis debitas refero gratias.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *Zenodoti nemo inter recentiores similior quam Franciscus Guietus.*

II. *Versum Sophoclis Oed. Col. 1436 (ed. Herm.) eiiciendum puto.*

III. *In eiusdem Trachiniis v. 862 secundae puellae tribuendus est, eius orationi ut respondeant tertiae puellae dicta.*

IV. *Apud Theocritum id. XXII, 149—151 sic est restituendum:*

Ὑμεῖς δ' οὐ κατὰ κόσμον ἐπ' ἀλλοτρίοις λεχέεσσιν
ἄνδρα παρετρέψασθε, γάμον δ' ἐκλέψατε δώροις,
βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι καὶ ἄλλοισιν κτεάτεσσιν.

V. *Apud eundem XXI, 53 scribo:* εἶλέ με δεῖμα.

VI. *Aeschylus ante Ol. LXXVII, 4 profectus est in Siciliam.*

VII. *Accurandum est, ut superiorum in gymnasiis ordinum cives sibi unum quisque ex elegantioribus Germanorum scriptoribus praecipue tractandum eligant.*

VIII. *In Iuvenalis satira IX versus quintus Naevolo est tribuendus.*

IX. *Apud Aeschylum Agam. 1323 sic scribo:*

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς, κοιράνων τιμωρίαν
ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ
δούλης θ' ἁλούσης εὐμαροῦς χειρώματος

X. *Verba scholiastae ad Aesch. Prom. 94* ἐν γὰρ τῷ πυρφόρῳ τρεῖς μυριάδας φησὶ δεδέσθαι αὐτόν, *non possunt in primam fabulam Prometheidos trilogiae cadere.*

XI. *Falluntur, qui Aristophanem* ἄνδρας Μαραθωνομάχους *unice admirari arbitrantur.*

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU

236049

LGr.
E63.
.Ys

Epicharmus
Author Schmidt, L.V.

Title Quaestiones Epicharmeae.